# BASINIO BASINI — ISOTAEI LIBRI (2484 vers)

## LIBER PRIMUS

### SIGISMUNDUS PANDULPHUS MALATESTA DIVAE ISOTTAE SAL. D.

I1_01
Quam Sigismundus tibi dicit ab urbe salutem,
   accipe, purpureas inter habenda deas.
Longe corpus abest ; tibi semper proxima mens est
   parteque sum tecum fertiliore mei.
Si quid agam quaeris, mea conqueror otia solus
   et desiderium flebilis usque tui.
Absens absentem video te, Isotta, nec ulla
   jam sine te nobis nox vigilanda venit.
Roma licet veterum monumenta ostentet avorum
   effetaeque amplas suggerat urbis opes,
me tamen haud possunt mirae oblectare ruinae,
   cum nullo hic fueris conspicienda loco.
Ipse, fatebor enim, laetae non vallibus Idae,
   non sine te caeli parte fuisse velim ;
namque habeat multas quamvis urbs nostra puellas,
   quae possent ipsos sollicitare deos,
sola tamen nostris placuisti semper ocellis
   hujus et exuvias unica mentis habes.
Spirat Oronteos facies si mollis odores
   artificisque manu si mihi pexa coma est ;
si gravis intexto mihi vestis pendeat auro,
   si Phrygia ex humero picta lacerna manu ;
denique si festas deducimus arte choreas,
   sive ego personis induor ora novis ;
omnia pervigili facio conjunctus amore,
   ut soli placeam, cara puella, tibi.
Adde, Isotta, licet majorum more meorum
   arma ex officio sint agitanda meo,
successor regni videar ne indignus aviti,
   sitque oneri potius stirps Malatesta mihi ;
non ideo minus ipse sequor tamen arma libenter,
   judicio ut videar clarus ubique tuo.
Utque meo tu digna, tuo sim dignus amore,
   cedat et in partem gloria nostra tibi.
Scilicet Idalias sensit Phoenissa sagittas,
   ut sua Tros cecinit fortia facta pius ;
Aesonidemque suum tum denique Colchis amavit,

vidit ut ignivomos perdomuisse boves.
Dictaeum ni forte ducem vidisset in armis,
laederet haud patrium perfida Scylla caput.
Et nos, si quicquam claris sudamus in armis,
si qua hac sunt nobis parta trophaea manu,
hinc merito longos de te speramus amores,
hinc fore perpetuam credimus usque fidem.
Nam, mihi crede, prius manabit ab ilice nectar
et glandem salices et feret ulva favos,
ante piger madido versabitur axe Bootes,
aequoreos viset Menalis ursa deos,
quam tibi, quicquid id est, animus res vota fidesque,
quodque dedi pectus desinat esse tuum,
fatales dum fila trahent mihi longa Sorores
vitalisque meum dum reget aura caput.
Jamque vale, mea lux, mea cura et sola voluptas,
utque tui fuero, sis memor ipsa mei.

## ISOTTA ARIMINENSIS REGI ET DIVO SUO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. SAL. PL. D.

I1_02

Quam tibi mittit amans, princeps animose, salutem,
non nisi cum reditu mox habitura tuo est.
Fabor ? An Isottae nisi margine scripta supremo
nomina jam lacrimis legeris uda meis,
et nisi consueto signatam videris auro,
non erit haec oculis littera nota tuis ?
An tacitae primum cum solves vincla tabellae,
cognosces animi pignora cara tui ?
Impiger aerias emensus diceris arces,
qua Tiberis Tuscum verberat unda fretum.
Consilio infestum celeri dum praeripis hostem
atque tua instantis comprimis arte minas,
raptus es hinc nostris vix dum bene notus ocellis,
nec sum discessus praescia facta tui.
Non potui caro prius addere brachia collo,
dicere nec maestis blanditias precibus ;
non mandata prius miseris commixta querelis,
humida nec lacrimis oscula deinde dedi.
Nam saltem si non poteram tua vota morari,
te poteram precibus commonuisse meis,
ut vafer adversos urgeres cautius hostes
et saevos premeres stans procul ipse viros.
Aedibus et patria cessisti incognitus urbe,
nec tibi qui "valeas" diceret ullus erat.
Postera lux aderat, jam tota diceris urbe
Apenninicolas transiliisse nives :
jam premere hostiles praesenti numine turmas,
qua fugerent hostes te quoque parte sequi.
Rumor ut ad nostras pervenit certior aures,
vix potui lacrimas dissimulare meas.
Sed potui pallere magis quam laeta videri
et mox incomptis tristior esse comis.
Quid facerem ? Hinc gemitus dolor excutiebat, at inde

urgebat questus conscia flamma novos.
Saepe mihi comites, genitor mihi saepe "Quid", inquit,
"tristis es et fletu pectora cara madent ? "
Erubui finxique aliam mox anxia causam
quodque animi fuerat, corporis esse malum.
Jam mihi non auro pictas suspendere vestes,
comere odoratas non mihi cura comas.
Cuinam ego flaventes componam sola capillos,
cui studeam cultu sola placere meo ?
Ille meae spectator abest, dii parcite, formae,
ille mei cultus gloria solus abest.
Dux meus infestos furit indefessus in hostes
audet et intrepida proelia dura manu.
Ipsa igitur pictis grata spatiabor in umbra
vestibus, aestivum sufferet ille canem ?
Ipsa velim festis secura vacare choreis,
ille inter primos conferet arma viros ?
Squalida sim potius, sim nullo sordida cultu
adventumque mei tristis adusque ducis.
Vos modo, bellorum quibus est data summa potestas,
aequa, dii, tanto mente favete duci.
Pro reduci Eoos liceat perfundere odores
crassaque adoratis solvere vota deis.
Te quoque, cui tanti commissa est sarcina belli,
cujus et auspiciis credita summa rei,
per si qua est nostrae, mea spes, tibi cura salutis,
per vitae superest spes tibi si qua meae,
per si qua Italiae te tangit cura cadentis,
cujus nunc oneri sola columna subes ;
parce precor saevo propius te credere Marti
comminus et fortes conseruisse manus.
Me miseram horresco repetens quae nuper Amyntas
clara tua nobis rettulit acta manu ;
scilicet excelsis vidisse in moenibus unum
mille inter fortes fervere caede viros ;
avulsa demum muri cum parte cadentem
cum pede conspicuum te violasse caput.
Desine, dive, tuis aliena reposcere sceptra,
desine, dive, tuis vincere vulneribus.
Externos tua ne faciat jactura potentes
Neve tuo quisquam sanguine dives eat.
Si bene fortunam, bene si metiris et hostem,
cum fortunato sunt tibi bella duce,
quem quamvis bello, quamvis tu vincis et armis,
ille unum invictus te tamen ante fuit.
Inde ducem invictum bellatoremque superbum
Italiae vinci solus in orbe doces.
Magna quidem fateor, sed non est gloria tanti,
ut subeas animo mille pericla tuo.
Ast ea si certae jam stat sententia menti,
Martius ut cupias horrida bella sequi,
te retine infestis miscere cohortibus, hostem
consiliis tantum vincere quaere tuis.
Tantum acie compone equites, compone maniplos,
et peditem cornu sistere coge suo ;
cetera parce precor saevo, dux inclyte, bello :

sic satis officio feceris ipse tuo.
Sic tua sic nostram complebit gloria mentem
laetaque sic potero laudibus esse tuis.
Jamque vale et nostros nisi jam contemnis amores,
dive redi aut nostris utere consiliis.

## POETA DIVAE ISOTTAE ARIMINENSI

I1_03 Si generosa suis confixit pectora telis
et collo adjecit vincula durus amor,
si tua forte novis uruntur pectora curis,
sic animi efficitur condicione tui.
Ignavos namque ille animos residesque repellit
improbus et claris mentibus haeret amor.
Tela tuis igitur dedit aurea clarus ocellis
et merito pedibus mollia vincla tuis.
Verum a te, fateor, naturae haud parva benignae
nec minor est summis gratia habenda deis,
cum tales sis nacta vices, Isotta, tuoque
tempore quod tantum contigit esse ducem.
Qui nisi nunc esset, deerat te dignus amator,
parque suo deerat forma supercilio.
Nam Malatestarum clarissima gloria gentis,
Sismundus, parili junctus amore tibi est.
Hunc colis et solum placidis complecteris ulnis
et tibi perpetua jungitur ille fide.
Et merito. Quis enim Latiis hoc dignior oris,
quisve inquam toto clarior orbe viget,
seu mores vultusque ducis generisque decorem,
sive sua spectes fortia facta manu ?
Irreprehensa nitet facies, frons laeta renidet,
aspectuque gravis, dulcis itemque suo.
Adde genus proavosque suos celebresque triumphos,
clara quibus semper floruit ista domus.
Sed quid ego veterum radice innitor avorum,
ac videar virgae fidere forte parum ?
Quisnam illo melior sumptisve animosior armis ?
Quem mihi das bello, quem mihi pace parem ?
Consilio Nestor dextraque est alter Achilles,
cui bene Romanae credita summa rei.
Jure igitur cunctis cum sis praelata puellis,
ausa es te tanto credere, diva, duci.
Ducite felices longis sub amoribus annos,
et voti compos fiat uterque sui.

## ISOTTA ARIMINENSIS SIGISMUNDO PANDULPHO MALATESTAE SAL. PL. DICIT.

I1_04 Ite iterum in lacrimas, in dulces ite querelas,
ite iterum in blandas carmina maesta preces,
supplicibus votis nostro aspirate labori

et medicas aegrae vos adhibete manus.
Otia Mars nobis invidit longa feroxque
jam ciet emissis Itala bella Getis ;
torvaque sanguineo fremit heu Bellona flagello
et Jani horrendum jam crepuere fores.
Arma lacessiti Ligures ultricia poscunt
Abduaque obsessis jam fremit amnis aquis ;
jam Veneti quascumque audent in proelia vires,
exitio Insubrum contribuere ducis.
Dux igitur tanti subeat qui pondera belli
quaeritur et Ligures qui tueatur opes ;
qui Venetos animo thesauros aequet et armis
audeat in tantas impiger ire minas ;
collato tantos turbet qui Marte paratus,
impia qui in turpem vertat et arma fugam.
Ad te igitur ventum, dux invictissime, cujus
jam toto virtus non habet orbe parem,
cujus mira nimis bello experientia, cujus
bello animus, bello dextra fidesque valet.
Tu tantam in molem, tu tantos solus in usus,
in tantos lectus solus es ipse duces.
Tune peregrinas sine me meus ibis in urbes ?
Atque utinam quo mens, pes queat ire meus.
Non sine me fuso ductaveris hoste triumphum,
non sine me ornarint laurea serta comas.
Nec tamen invideo, tantis nec honoribus obsto,
dum redeas patrios victor ab hoste Lares.
Non sine me tantis crescet tua gloria rebus,
stet modo, quae nunc est, inviolata fides.
Stet precor ista fides, stet nostri gratia facti,
nostra nec externus foedera laedat amor.
Namque ferunt illas, sit vana ea fama, puellas
Dulichiam forma sistere posse ratem.
Hei mihi posse etiam tua tangere suspicor illas
ora, oculis nimium quae placuere meis.
Quid non fingit amor ? Procerum stipante corona
visus es anguigerum nuper adire ducem.
Mille videbantur patulis pendere fenestris
Naiades, aspectus urbe sequente tuos.
Mirari hae faciem dignos et Apolline crines,
hae super aetatem fortia facta tuam.
Hae solum imperio dignum te dicere tanto
teque unum instantes frangere posse minas.
Has super acer Amor fuerat deus usque secutus,
Lynce pharetratum cui stat utrimque latus ;
telaque nunc aut has, aut nunc torquebat in illas
aurea, furtivas matre parante faces.
Heu heu quam timeo. Quid enim non audet amando
femina ? Credulitas vana sit ista precor,
brachia nec caro sua det temeraria collo
et petat amplexus illa vel illa tuos.
Ah potius dirae solvant mea fila Sorores
et sint Hyrcanae nostra sepulcra ferae,
quam tantis miseranda malis tantoque labori,
nostrave tot lacrimis vita superstes eat.
Quod te per Superos oro, per si qua relictae

te tangit pietas, cura fidesve mei,
per gemitus nostros oro lacrimasque perennes,
scripta quibus multis illita nostra vides :
ne patiare animam hanc tanto languere dolore,
neve novus vitae sit mihi finis amor.
Quae tua sunt tueare precor, nam nostra periclo
vita et libertas jam peritura tuo est.
Corpus honos animus libertas vita pudorque
cessere arbitrio morsque salusque tuo.
Nil mihi jam proprium, nil jam commune reliqui,
praeterquam fidei pignora spemque tui.
Cetera solus habes, memori quae pectore serves,
omnia perpetua quae tueare fide.

## POETA DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. AC DIVAE ISOTTAE PRINCIPIBUS SALUTEM DICIT

I1_05

Quos amor atque fides jam pridem junxit amantes,
carminibus duxi dissoluisse nefas.
Signo igitur viset vos littera nostra sub uno,
littera communis missa duobus erit.
Vestra nec exemplo reddatur epistula tali,
scripta sit ut geminis unica nominibus,
nam mihi quod placuit, vobis non convenit : unus
quaero quod haud apte reddat uterque simul.
Quod mihi si jussu jam vestro aenigmata rerum
contigit et dubios explicuisse locos,
si tentata viris potius quam cognita doctis
saepe mihi a vobis disseruisse datum est,
cur mihi non liceat pauca haec sperare vicissim
verbaque quaesitis officiosa meis ?
Non ego naturae causas exquiro latentes
nec cupio aetherei sidera scire poli ;
non quae spes tandem nobis tellure sub alta est,
lumine vel cassi quod teneamus iter.
Sed cum vos parili conjunctos semper amore
inque vicem norim vos coluisse fidem,
scire velim primum vestri qui primus amorem
movit, et ista fides coeperit unde prius,
Sismundine tibi sit plus obnoxia virtus,
gloria quam contra, quam tua fama sibi.

## ISOTTA ARIMINENSIS POETAE SALUTEM DICIT

I1_06

Hesterna dum luce novis spatiarer in hortis,
quos patria princeps sepsit ab urbe meus,
inque vicem pro more fidem quereremur amantum
falsaque consueta jurgia nequitia ;
ecce autem nobis, nihil opportunius illis,
redduntur tabulae, dive poeta, tuae.

Unus ad unanimes cum fenore scribis amantes,
nam mensura dati quaeritur inde duplex.
Abs te quippe simul data nuper epistula nobis
in reditu comites attrahet una duas.
Nostra prior veniet, nam prima lacessor et ipsa
natura hic sexus dicitur esse loquax.
Nostri igitur causam primum scitaris amoris,
tanta fides demum coeperit unde prius.
Hoc poteras quamvis vel me tu scire tacente,
dum tamen haec paucis eloquar, ipse vaca.
Vix utero fueram vitales missa sub auras,
in matris funus lata puella meae,
parvula cum parvum poteram qua mente colebam,
inque meo solus pectore semper erat.
Paulatim, ingenio mox et crescentibus annis,
cum nostro semper tempore crevit amor.
Jam mihi tum faciem flavosque ornare capillos
et mihi sola fuit cura placere sibi.
Protinus accessit plenis maturius annis
judicium et flammae tunc patuere meae.
Tum penitus caluere animi, tum pectore toto
exarsi et caecis ignibus usta fui.
Ille vel auratas si moliretur habenas,
spumanti exsultans ille placebat equo.
Ille vel adversis occurreret aureus hastis,
judicio cunctos praestitit ille meo.
Illa, quid inficier, facies me perdidit estque
plus oculos aequo saepe morata meos.
Nec minus et generis decus et sua maxima virtus
famaque jam mentem moverat ante meam.
Ille meos contra praesenserat improbus ignes.
Quis queat idaliam dissimulare facem ?
Mutua certatim sic coepit pestis utrimque,
mutua sic finem non habitura fides.
Jamque Iolem, Thisben, jam fama tacebit Elissam
et si quas aetas extulit ulla prior.
Plura igitur tanto debere fatebor amanti,
quam contra merito debeat ille mihi ;
officio nam parta suo est mihi fama perennis,
factaque sum celebris carmine sola suo.
Cumque forent animo multae formaque puellae,
quae possent magnos nempe movere deos,
sola tamen semper placui sibi solaque cultu
dignaque deliciis sum sibi visa suis.
Quin etiam vultus liquido deduxit electro
et struxit cineri vana sepulcra meo,
scilicet ut veri sic munus obiret amantis
et tibi, posteritas, mortua nota forem.

## SIGISMUNDUS PANDULPHUS MALATESTA POETAE

I1_07

Reddita nuper erant tua nobis carmina : sensi
te simul ingenium sollicitare meum ;

nam quod scire cupis, nullus jam nescit et olim
   certior ardoris factus es ipse mei.
Sed quoniam sic ipse petis, sic sedulus instas,
   ut cogar precibus moriger esse tuis,
nota quidem fabor, sed non indigna relatu
   grataque plus animo mox repetita meo.
Moribus ipsa meum divinis movit amorem
   Isotta et rapuit me in sua vota prior,
quem super aetatem probitas servavit et auxit
   formaque cum longa non reprehensa fide.
Nondum maturis aetas adoleverat annis,
   lanugove meas presserat ulla genas ;
illam ego cum toto complectens pectore dixi
   "Sola quies nostrae curaque mentis eris".
Nam licet et teneris tunc esset inutilis annis,
   indole vel magnas praestitit illa deas ;
Dulichiamque suo potuit sermone carinam
   sistere et iratum conciliare Jovem.
Lumina cumque forent caelestibus aemula flammis,
   et quamvis essent dulcia, casta tamen.
Ergo illi tota jam tum me mente dicavi
   et statui votis vivere velle suis.
Nec spes vana fuit, siquidem crescentibus annis
   admisit nostras officiosa preces ;
moxque puellarum dulces gratissima curas
   aequavit parili semper amore meas.
Ac sic ex animis facta est mens una duobus
   mutuaque ex illo tempore facta fides.
Est igitur mea sors plus illi obnoxia ; primum,
   quod vice me dignum duxerit esse sua.
Cumque forent multi specie regnoque potentes
   atque mihi generis condicione pares,
una sed Ausoniis forma foret inclyta terris,
   una quidem multis sollicitata procis ;
me tamen e multis delegit amantibus unum,
   in cujus sese traderet illa fidem.
Ergo ego cum tantos inter sim primus amantes,
   judicio felix factus et ipse suo ;
debeo plura sibi, nam quod natura negabat
   perficere in nobis, est suus ausus amor.
Namque meum ingenuas animum traduxit ad artes
   et mea Castaliis ora rigavit aquis.
Carminis hinc primum, citharae hinc mihi cognitus usus,
   hinc mihi cristati nobile Martis opus.
Ausus enim quotiens sum clausum moenibus hostem
   comminus intrepida sollicitare manu,
hostiles quotiens ausus turbare cohortes,
   sum ratus Isottae posse placere meae.
Sic deus audacem cursuque animoque puellam
   Hippomeni, optato junxit et ille toro
Trosque pius fortes animosior ibat in hostes,
   cederet ut votis regia nata suis.
Nostra igitur, si qua est, illi est obnoxia virtus,
   pendet et a meritis laus mea tota suis.
Illa mihi ingenium vires animumque creavit
   et dedit in raris nomen habere meum.

Ex paucis igitur tu collige plura, nec ausis
in dubium posthac reddere nota satis.

## POETA DIVAE ISOTTAE ARIMINENSI SAL. DICIT

I1_08

Inclyta diva, Italis decus et nova gloria rebus,
patre Jove et patria digna puella polo,
sola puellarum fortunatissima, nostri
unica blanditiae deliciaeque ducis,
non patiar (mea, diva, tua modo carmina forma
duxeris et tanto digna supercilio)
non ego Arimineae patiar tua nomina terrae
limite et Hadriacis delituisse vadis.
Et mea sit Gallo quamvis longeque Tibullo
Pelignaeque impar sit mea musa lyrae,
non Isotta tamen Nemesi, non nostra Corinnae,
non cedet fama, blanda Lycori, tibi.
Nam Malatestarum dum stabit nobile regnum
dumque erit in pretio lingua Latina suo,
cum Sigismundo mecum ipsa legere superstes
postque obitum vives cum duce, diva, tuo.
Quid juvat in liquido vultus deducere electro
vivacique oculos promere in aere tuos ?
Nuper enim vidi similes in imagine vultus,
quos mira princeps fecerat arte tuos.
Adde animam, poterant aequare per omnia veros :
tantum humana ausa est explicuisse manus.
Nec tamen arguerim, siquidem gratissimus heros
laudibus et famae consulat usque tuae :
namque tuam quantum probat et colit ille figuram,
judicium tantum jam probat ille suum.
Non tamen haec mores animumve loquetur imago
tantaque erit facies dotibus orba suis.
Vivit amans Dido, superest Lucretia famae,
fama viget Tomyris, sed tamen aere caret.
Sed vigil his vatum labor et sua splendida laus est,
aeternum faciens nomen in orbe suum.
Ingenium sic nulla tuum, jam nulla tacebunt
saecula, nulla fidem cum probitate tuam.
Jam solam priscis quam conferat aemula rebus
te nostro inveniet tempore posteritas.
Una te Latium jam se jactabit alumna :
plus dabis huic laudis, quam dedit ante tibi.
Sed quod in aere nites, quod nostris multa tabellis
scriberis, est nostri cura fidesque ducis :
vive igitur fati secura, Isotta, diuque
et memor et tanti grata puella boni.

## SIGISMUNDUS PANDULPHUS MAL. DIVAE ISOTTAE ARIMINENSI SALUTEM DICIT

I1_09

Quis neget eventus portendere somnia veros ?
Praescia venturi quis neget illa mali ?
Quis sine processu neget apparere maligno
luctiferos nocte concubia Lemures ?
Languida jam nuper dederam mea membra quieti,
quum late somno corpora fessa silent,
jamque emensa suum cursu breviore laborem
luna revertentem fugerat alba diem :
ecce mihi visa es fusis astare capillis
livida vix tollens lumina tristis humo,
discolor et nulli credenda Isotta ; sed aegra
et quamvis esses pallida, pulchra tamen.
Et prior "O", dixti ,"carae succurre puellae,
o vitae, princeps, maxima cura meae ! "
Protinus exsurgo turbatus pectore toto,
nam facile credit quae timet omnis amans.
Admitto lucem, jam lux erat orta, fenestris :
hei mihi non solitis lux erat illa modis !
Caligoque polum totumque obsederat axem ;
sol erat, ut dubites lunane solne foret.
Nec sacer horrendo compescuit omine vocem
praesagam tanti corvus ab arce mali.
Vix erat instantis pars sexta exacta die, cum
tristis adest cladis nuntius ecce meae
et vix haec nobis lacrimis expressit abortis :
"In dubio vitae paene puella tua est ;
febris enim vicibus moribundam torquet amaris
scilicet et toto pectore flamma furit".
Quid poterat dempta mihi tristius addere morte ?
Mors etiam potuit fellis habere minus.
Heu heu quos gemitus, heu quae suspiria nobis,
heu quos singultus attulit illa dies !
Quid facerem ? Pacto poteram te visere nullo,
nec poteram vultus ire videre tuos ;
regis enim Alphonsi felicia dum sequor arma,
non potui patriae regna videre meae.
Et quoniam, ni fallor, erit mihi tardior istuc
accessus, fungar qua datur aeger ope.
Absentem pro me te viset epistula saltem,
littera sermonis nuntia fida mei.
Quod jam, si qua meae spes est tibi certa salutis,
te precor o, si quid te benefacta juvant,
restitui primae cura te, Isotta, saluti ;
effice quo valeas, cara puella, rogo,
Itala ne tanta tellus privetur alumna,
cujus non habuit, non habet illa parem ;
neu commune decus fleat omnis Isauria, neve
urbis Arimineae gloria tanta ruat.
Tu quoque, cui medicas invidit Jupiter artes,
de secto matris ventre revulse puer,
ipse fave et nostrae tandem succurre puellae ;
tuque adhibe medicas, Phoebe superbe, manus.

ISOTTA ARIMINENSIS REGI ET DIVO SUO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. SAL. D.

I1_10

Nuper ab Hadriacis mihi venit epistula terris,
   accelerata tua, rex animose, manu,
qua tua cognovi quantum praesentia posset
   reddere, cum scriptis libera paene fui.
Vesper erat primaque furens a luce misellam
   febris ad extremam torserat usque diem.
Ecce tuae nobis redduntur forte tabellae,
   nec quisquam gnarus unde darentur erat.
Linea vix missae viciaram vincula chartae,
   agnovi regis pignora cara mei.
Mille dedi primum peraratis oscula chartis
   utque oculos illas sum venerata tuos.
Audire et voces, praesentis cernere vultus,
   ire sub amplexus sum mihi visa tuos.
Quid loquor ? Haud aliter mens haec moribunda revixit,
   quam solet infuso vivere flamma mero.
Nec secus ipsa tuo concepi carmine vires,
   quam solitus tacta jam Lybis hospes humo.
Statim membra toro prius haud semota jacenti
   quaeque videbantur mox peritura, levo.
Deinde statu atque tua nota mihi, dive, salute
   "Si valet hic", inquam, "mox ego sospes ero".
Mutua nam testor conjuncti foedera lecti
   quamque tibi vovi tempus in omne fidem,
me mea non tantum doluisse instantia fata
   nec pro me vitae tam timuisse meae,
pignore tam cari quam quod spoliarer amoris
   conspectuque forem mox caritura tuo.
Nam tu judicium de me tam, dive, benignum
   quod facis, est animi gratia summa tui.
Scribis ut esse cupis ; sed enim laus maxima demum
   est, de laudati quae venit ore viri.
Nam quid ego incerti curem praeconia vulgi,
   sim modo judicio non reprehensa tuo ?
Si quid inest umbris sensus tellure sub alta
   mensque illis eadem quae fuit ante manet,
non idem cineres lapis et compescet amorem,
   sed mea consumptae flamma superstes erit.
Restitui tamen interea curare saluti
   incipiam et corpus conciliare meum.
Sed nec Apollineis opus est mihi deinde medelis.
   Ipse redi, fies vita salusque mihi.

# LIBER SECUNDUS

## ISOTTA ARIMINENSIS POETAE SALUTEM DICIT

I2_01

Tempora labuntur nostrae vix nota juventae,
auriferi citius non fugit unda Tagi.
Nos tamen in nostris perstamus amoribus : et quid
mutabit mores mors nisi sola meos ?
Aut mihi nascenti tres indixere Sorores,
credibile aut ipsos sic voluisse deos.
Quippe feris quosdam velut indulgere fugandis
cernimus et quosdam tristia bella sequi ;
atque aliquos uncta melius certare palaestra,
velivolum quosdam sollicitare fretum ;
terrifidis alios sine fine incumbere aratris :
denique si spectes, ars sua cuique placet.
Sic natura parens et ineluctabile fatum,
quisquis is est, rerum sic dedit esse pater :
ille Cupidineis violandam saepe sagittis
meque dedit fato semper amare meo.
Nec sortem queror ipsa meam nec, si petis, ista
me piget aeternum mollia vincla pati.
Quin potius Veneris referatur gratia nato,
quo duce vel magnas efferor ante deas.
Bellica non ego sum cupido data praeda latroni,
ignotum timui non ego rapta fretum ;
non ego terrigenas armavi in proelia fratres,
non traxi ultores impia ad arma procos ;
sed fuit hic primis mihi princeps notus ab annis,
unica judicii cura fidesque mei.
Huic ego crescentes annos animumque dicavi,
huic ego perpetuum vota puella fui.
Flumina jam proprios remeare videbis in ortus,
litore et Euripum stare tacente fretum ;
vere prius volucres, aestate tacere cicadas,
autumnum vernas non posuisse comas ;
quam mihi fatalis superant quae tempora vitae,
moribus aut votis sint aliena meis.
Sive aliquid post fata sumus, parere sepulto
ipsa velim et cineres praeter amare meos.
Quare te quoniam, vates doctissime, fas est
scire quod ignorat, quod quoque vulgus avet,
divina siquidem non ab re mente poetas
afflari et vobis numen inesse ferunt :
dic age, de nostra quid sentis morte ? Soluti
corpore post tristes vivimus exequias ?
Lumine vel cassi tenebris jactamur opacis
jam nihil et penitus corpus et umbra tacent ?
Atque alium missi rursus si vivimus orbem,

mensne eadem nobis quae fuit ante manet ?
Si comes aeternum caro conjungar amanti,
aequabit flammas nec minus ille meas ?
Sin minus hinc omnis cum corpore vita peribit
umbraque consumptis nulla superstes erit,
interea laetos longis sub amoribus annos
ducemus metae tempus adusque datae.

POETA DIVAE ISOTTAE ARIMINENSI SAL. DICIT

I2_02

Salve iterum cunctis praelata Isotta puellis,
maxima nata tuis gloria temporibus,
deliciae merito ducis et solatia nostri,
laudibus est cujus jam mea musa minor.
Quae tibi jam forma, jam vita moribus arte
quaeve tibi ingenio par erit Italia ?
Tyndaris illa quidem specie tibi, carmine Sappho,
Penelope cedet moribus ipsa tuis.
Ausa es tu rerum scitari femina causas
verbaque Socraticis vix adeunda viris.
Nunc primum, fateor, perlecto carmine sensi
deficere ingenium, docta puella, meum.
Et poteram, nisi nostra tuo sententia jussu
cogatur, tanto conticuisse loco.
At quoniam sic diva jubes, ego jussa subibo :
nam parere meum est, imperitare tuum.
Malo tibi ignarus rerum quoque, diva, videri,
quam minus ah votis moriger esse tuis.
In primis igitur non his assentio, qui cor
esse animum, cerebro qui vel inesse putant ;
sanguinis aut fusam circa praecordia massam,
aut animum penitus qui statuere nihil.
Nam si, corporeus, penes aut praecordia sanguis
est animus, fuso sanguine nullus erit.
Si nihil, unde igitur tot humatis tura quotannis ?
Unde tot illustres cernimus exequias ?
Si penitus qui jam vita excessere perissent,
incassumne preces et benefacta forent ?
Magnanimi numquam morti se sponte dedissent
hi qui pro patria jam cecidere sua.
Principio nosti per se quaecumque moventur
nescia principii nesciaque esse modi.
Quod vero externis agitatur motibus, illud
haeret, ubi motor non agit ipse suus.
Quodque agitur per se, se numquam deserit ; ut quod
principium numquam noverit ante suum.
Se movet hic per se nulloque agitante movetur ;
coepit et ut numquam sicque perennis erit.
Corporis ut moles animis est omnis adempta,
judicio vivunt hi sine fine meo.
Mensne eadem maneat tristi compage solutis,
ut reor, est paucis explicuisse datum.
Respondere canit curasque aequare Sichaeum

conjugis Aonio carmine Virgilius.
Ergo aliquid post fata sumus, vitaeque prioris,
quisquis habet, memores vivimus usque, locus.
Nam potare animas Lethaei oblivia fontis,
in formas demum quis putet ire novas ?
Non mihi Pythagoras hoc umquam suaserit auctor,
sit licet in raris nomen in orbe suum.
Divinos animos caelesti ab sede profectos
communes brutis noluit esse Deus.
Sive igitur sero, seu te prius atra capessant
fata, coles regem tempus in omne tuum.

ISOTTA ARIMINENSIS PATRI SUO SAL. D.

I2_03

Unica sollicitae spes o fidissima vitae
fortunaeque parens anxia cura meae,
longa revertentem quam te post tempora tandem
optatum patrios visere cerno Lares
quem colo, quem merito primis admiror ab annis,
sospite quo non sum spe caritura patre.
Conscia cujus opem nunc implorare subausim,
non secus ac medicam quae timet aegra manum.
Siquis enim sperat, timet idem spesque timore
cum labet, erigitur spe tamen ipse metus.
Anxia diversis sic opprimor undique curis,
quodque pudet fari, dissimulare nocet.
Namque ea, care parens, cogor sic jussa fateri,
quae tibi jam mallem nota fuisse tamen ;
nec prius ipse mei fieres tu certus amoris,
quam fierem voti certior ipsa mei.
Qui dedit et causam nostroque alimenta furori,
patronus causae sit deus ille meae.
Ille (quid inficier ? ) praecordia ad intima certam
luctanti frustra torsit ab aure facem.
Et mihi : "Quid nostras frustra fugis ipsa sagittas,
nescia quid pharetrae, quid mea tela queant ?
Ille ego sum," dixit, "tenerorum rector amorum,
qui mitto in magnos aurea tela deos.
Non puduit solo qui nutu temperat orbem,
qui quatit et saeva tela trisulca manu,
non inquam puduit mihi jam parere Tonantem,
quem bove, quem plumis delituisse ferunt.
Hunc etiam gremio suscepit Abantias imbrem,
ditavitque sinus aurea gutta suos.
Dumque suae imprudens Dictynnae servit, ab illo est
Maenalis in falsa lusa puella dea.
Nam quid ego Alcumenae, Semeles quid crimina dicam ?
Quamque deam vidit Nilus ut ante bovem ?
Ille etiam aeternum qui debet lumina mundo,
neglexit munus me faciente suum,
cumque pruinosum Matuta reduxerat axem,
ut patri solitas crederet inde vices.
Sensit et Infernus nostras rex ipse sagittas,

Trinacrios audax cum populavit agros.
Non ego Mavorti, Veneri non ipse peperci,
ridendi aeratis cum jacuere plagis.
Vertumnum feci vetulae sumpsisse figuram,
et Syringa suam per juga Pana sequi.
Me duce tu teneram geris ab radice cupressum,
Silvane, ardoris signa proterva tui.
Restat Ericthonius, stirps inconcessa Minervae,
ne nostri expertem dixeris imperii.
Deseruitque focos aeternasque Ilia flammas,
cessit et ingenio Vesta relicta meo.
Adde his semideos heroasque adde superbos,
prisca quibus tantum contulit illa fides.
Nam quid ego Alcidem memorem, qui maximus olim
stelliferos humeris fulserat ipse polos ?
Ille tamen posita coluit mea numina clava
traxit et Omphalea mollia fila colo.
Fregerat ante tamen Acheloia cornua, dum tu
victori precium, Deianira, fores.
Fama ingens, re major erat Neptunius heros ;
qui vicit multos, victus amore fuit.
Nam nece semiviri servas prius ultus Athenas
indulsit nostris advena blanditiis ;
mox rapuit geminas aequa non sorte sorores,
nec pede pressuras hospita regna pari.
Quidve pio Aenea ? Juvene aut quid clarius illo,
Phryxeam prima qui rate vexit ovem ?
Nimirum pietas nostris concessit habenis,
tantus et admisso cessit amore pudor.
Aesonidem serpens numquam, non flammivomus bos,
non armata seges, sed meus egit amor.
Hectora Pelides debellaturus inermem
tracturusque atro corpus inane jugo,
feminea latuit juvenis Lycomedis in aula,
nec puduit lanas attenuare manu.
Sed quid io Lybicas numerare jubemur harenas,
floribus aut vernis imposuisse modum ?
Ante Molorcheae numerabis robora silvae
quotque Padus salices flumine laetus alit,
quam regno quos ipse meo parere coegi
dicam, quippe cohors non habet illa modum.
Mi Geta Parthus Arabs, vincenti paret Iberus ;
qua patet, est omnis terra subacta mihi.
Me puerum nudumque vides : timor omnis abesto ;
me duce sit notus, purus et omnis amans ;
dissimulare meas sed parce, puella, sagittas ;
odi ego quas puduit subjacuisse mihi.
Ne pudeat nostris igitur te credere regnis,
daque volens vinctas in mea vincla manus.
Si minus, hos annos atque irreparabile tempus
flebis adhuc tanta nescia sorte frui".
Dixerat, erubui : dubitantem sensit et arcum
corripit a nostra laesus ut ante mora.
Mox sonuit manibus late in diversa reductis,
haesit et heu lateri missa sagitta meo.
Irato atque in me jam tela secunda paranti

"Sum tua, sum", dixi, "cetera parce, puer".
Quid facerem ? Quove clipeo ? Quibus icta medelis ?
Quove deo tandem praeside tuta forem ?
Qui me cognati ? Qui me tutentur amici ?
Quive erat auxilii consiliive locus ?
Victa deo cessi ; seu victa coactave dicar,
sum Sigismundo credita forte duci.
Testor Ariminea si qui sunt urbe Penates,
et nos et nostras qui tueantur opes,
me tentasse diu vel plus quam posse putares,
subtrahere huic possem si mea colla jugo.
Incassum vis omnis erat, nam vulnera laeso
pectore gliscebant dissimulata meo.
Saepe meum variis temptavi fallere curis
ardorem et mores corrigere ipsa meos.
Plus tentata meos auxit medicina calores,
fusaque plus flammas extulit unda meas.
Ille meo princeps regnat sub pectore fixus,
ante oculos absens semper et ille meos.
Heu vinclis teneor gravioribus atque deorum
vi premor, aut odio ; nec voluisse meum est.
Quid loquar ? Ille meum primus commovit amorem
deque mea solus mente triumphat amans.
Ille meos primum sensus animumque pudicum
flexit, ego aeternum sum data cura sibi.
Venerit ante dies frustra exspectatus Iberis,
indigestum iterum videris ire chaos,
quam tantus nostro labatur pectore princeps :
solus is Hesperidum gloria summa ducum.
Non genere, aut opibus, non sum virtute, fatebor,
non ego sum forma digna puella sua.
Tantus enim princeps, bello tam clarus et armis,
quantaevis fuerat dignus amore deae.
Sed fati sic forte mei compellor et ultra
fortunam et vires cogor amare meas.
At mea sit quamvis plusquam violenta cupido,
care parens, quamvis impatienter amem ;
non erit in nostro tamen ullum crimen amore,
quo capiti timeas ulla pericla tuo.
Nulla seges per me galeatis surget aristis,
crine tuo dives nullus amator erit.
Me duce nulla meos mactabit dextera fratres,
me repetet nullus Marte timendus amans.
Quod si forte meo, pater, aspirabis amori
et patiere meum me coluisse ducem,
vivet in Ausoniis me nulla beatior oris,
laetior Hadriacis nulla puella vadis ;
et mihi nota mei si mens et gloria regis,
aeternum faciet nomen in orbe meum.
Quod si crudelis tanto pugnabis amori,
Aeolo et ipse parens durior esse voles,
non prius ex animo carum delebis amantem,
quam vitae solvas vincula dura meae.
Quod nisi fictus amor tuus in me falsaque demum
ista tua est pietas et simulata fides,
parce, precor, coepto genitor te opponere amori

atque animum frustra sollicitare meum.
Non ego degeneres tibi sum paritura nepotes,
non ullam generi nempe datura notam.
Multae etiam quod sum, temptarunt esse puellae
et mea sors multis invidiosa fuit.
Quippe si Acidaliis fueram violanda sagittis,
si fueram volucris praeda futura dei ;
quo duce, dic quaeso, quo rege beatior essem ?
Laetior aut quanam sorte futura fui ?
Sigismundus enim mihi jungitur inclytus heros,
qui parili curas aequat amore meas.
Pace pius, bello dux clarus et acer in armis,
cujus et est gestis fama benigna minor.
Ergo fave veniaque tua, pater optime, regem,
sic ego compellor, me sine amare meum.

## PATRIS ISOTTAE AD EAM DISSUASIO AMORIS

I2_04

Qualis Agenoridi funestum munus amanti
cum daret armatus Jupiter igne manum,
talis Arimineam nuper devectus ad urbem,
sollicitor precibus, filia cara, tuis.
Cogor enim, sic me stimulis constringis amaris,
invitus votis moriger esse tuis.
Cum tamen illa petas, quae, si tu sanior esses
et saperes, essent non cupienda tibi,
audacem pietas fecit te nostra, subinde
ausa es et illicitis me rogitare modis.
Primum scire velim, si patrem justa petebas,
unde tibi justi causa pudoris erat.
Non facile rebus pudor immiscetur honestis,
seque ipsum prodit, quem pudet ore loqui.
Ex me tu veniam nunc demum quaeris amandi,
ut quod sponte prius feceris, ipse probem.
Dum mens sana fuit, monitis dum fixa tenendis,
implorare meam debuit illa fidem.
Plaga recens melius curas admittit amicas,
quam quae per longas tabuit ante moras.
Nunc dare consilium, certam nunc vertere mentem,
nunc adhibere tibi sero paramus opem.
Non minus et tumido sero succurrimus amni,
obice cum fracto lata per arva furit ;
quaeque manet multam nunc populus alta securim,
jam frangi potuit virgula parva manu.
At nisi spernis adhuc monitus, Isotta, paternos,
si mens auxilii est consiliique capax,
si superat primae tibi spes et cura salutis,
atque tuum potis es hinc revocare gradum ;
crede locuturo tibi pauca, sed apta, parenti,
aude animum dictis credere, nata, meis ;
corrigere et potius studeas delicta tuumque
errorem, mores quam tueare malos.
Nec tibi jamprimum fato quem credis amorem

cede nec astrorum condicione datum.
Nam quaecumque agitis, quaecumque audetis amantes,
cujusque ex proprio provenit arbitrio.
Principio rerum libertas omnibus una est,
arbitrioque hominis fasque nefasque datum.
Tum duplex via, quae porro se scindit in ambas :
felices dextrum qui tenuere latus !
Nam tu quem pharetris armatum scribis Amorem
cladis et auctorem quem canis esse tuae,
quem tu victorem jam rere hominumque deumque,
hunc turpi fictum crede favore deum.
Namque suo sceleri indulgens obscaena libido
hunc falsi titulum jussit habere dei.
Libera peccandi miseris sic visa potestas,
si falso tegeret numine crimen amor.
Quin alas humeris pinxit delira vetustas
atque oculos velum nexuit ante suos :
scilicet ut caecos dux caecus obiret amantes
praestaretque omnes hic levitate deos.
Cur tamen o tenues raro subit ille Penates ?
Illautas spernit cur tamen ille dapes ?
Crede mihi, cedunt ea moribus arma pudicis,
nec laedunt castos aurea tela sinus.
Mollia pestiferas admittunt otia curas
et vulnus facile qua data porta subit.
Da mihi quam genitor turri servabat in alta :
aureus in falso non cadet imbre deus.
Quod nisi dives erit, quae plumis lusa puella est,
excutiet falsum protinus illa Jovem.
Nec Tros hospitium violasset adulter amicum,
si ponat cultus Tyndaris ipsa suos.
Parce tuis squamas intexere vestibus aureas
et calamistratas excoluisse comas ;
disce supercilium vitta cohibere pudica
et nimium lautis abstinuisse cibis ;
colloquium tamquam pestem fuge, nata, virorum :
sic venia poteris non eguisse mea.
Digna quidem, fateor, te sors invitat amori,
majorique fuit dignior illa vice.
Non genere, aut animo, non claris novimus armis,
non Sigismundo quem probitate parem.
Et laesa fueras si virginitate notanda,
rege sub hoc poteras esse notanda minus.
Attamen ut facile primo furit impete regum,
sic cito non stabilis, filia, cedit amor.
Nullus amat tandem, nisi spe suadente, puellas,
et castas, si qua est, quilibet odit amans.
Illa placet, nimium lacrimis quae credula fictis
admisit blandas obsequiosa preces.
Fallaces demum lusae novistis amantes,
tunc venit in vestros sera querela procos.
Oppressum sero queritur deserta pudorem
et frustra surdo scribit Elissa viro.
Minois patriam carosque insana parentes
prodidit et fratri struxerat ante necem,
scilicet ut soli vecors pareret amanti

92 fleret et ignotis inde relicta vadis.
93 Lemnias aegra suos sero culpavit amores
94 vidit et Aesonidem prorsus abesse suum.
95 Phyllida Demophoon, Briseida liquit Achilles,
96 illis perpetuam pactus uterque fidem.
97 Et Phrygius nympham mox Troada sprevit adulter,
98 ut sibi conjugii spes data certa novi est.
99 Denique nullus amor, nisi quantum blanda voluptas,
100 durat : avet semper res furor ille novas.
101 Has igitur curas, istam precor exue mentem ;
102 nam numquam ad mores est via tarda bonos.
103 Quod si certa sedet captae sententia menti,
104 ut lapsum nequeas jam revocare gradum,
105 mille tibi falsis linguas instare susurris,
106 mille oculos credas invigilare tibi.
107 Officio tu vince nefas factisque loquaces
108 comprime : tu soli quaere placere duci.
109 Denique, nata, velis sic esse fidelis amanti,
110 perpetuam illius quo mereare fidem.

ISOTTA ARIMINENSIS REGI ET DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. SAL. D. PL.

I2_05 v.1 Cui plusquam certos fugisse Cupidinis ignes
2 furtivamque datum non tolerare facem,
3 quae potuit blandas Veneris praevertere curas,
4 judicio felix haec erit usque meo.
5 Reicere illa jugum potuit miserosque labores,
6 quos ego ni cogar ferre, beata forem.
7 Non ego nunc tristis agitarem carmine Musas,
8 nec de me posses esse, popelle, loquax ;
9 non mea vita foret supremo prodita fine,
10 nec quererer stratae damna pudicitiae ;
11 non pedibus calcanda tuis mea colla dedissem,
12 non specie noster venditus esset honos.
13 Nunc quamvis nostro sera est medicina dolori
14 jamque retractandi vana querela mali ;
15 utpote quae adverso frustra contendimus amni
16 et male dilapsas sero tuemur opes ;
17 attamen huic saltem juvat indulgere labori
18 flereque fortunam quo sinis usque meam.
19 Non puduit certe studiosum Martis Ulyssem
20 Penelopen scriptis saepe monere suis.
21 Aesonidem Colchis, crudelem Thesea flevit
22 Minois solo sola relicta mari.
23 Non rediturus erat quem Phyllis amabat, at illum
24 ad reditus omni sollicitabat ope.
25 Scyriaque Aeacidae lacrimis comitata puella
26 discessumque pii flevit Elissa ducis.
27 Cur intentatum quicquam moritura relinquo ?
28 Cur moror in justas ire relicta preces ?
29 Nam si te nequeam justis lenire querelis,
30 nec tempestivis flectere te lacrimis,
31 non saltem ignotum tantum scelus esse, nec istam

qualemcumque sinam delituisse fidem.
Juratis posthac non credere amantibus, heu heu,
discet ab exemplo quaeque puella meo.
Testibus ah quotiens Superis in diaeta vocatis
perpetuam nobis pactus es ante fidem !
Sic ego blanditiis fictisque miserrima verbis,
sic sum pollicitis capta puella tuis.
Jam tua speratis mihi dudum amplexibus Alba,
jam potitur votis invidiosa meis.
Jam tibi Arimineas inter placet una puellas,
una tibi ad thyasos Alba vocata venit.
Namque palam vestros quis io jam nescit amores ?
Quis vestras tacito non videt ore notas ?
Hei mihi quam caecos male quis celaverit ignes,
quam male Acidaliam quis tegit arte facem !
Cerva diu latebras incassum quaerit amicas,
tristis ubi lateri fixa sagitta suo est.
Non lepus in nuda tutus requiescit arena,
nescia nec secto caespite damma latet.
Indignatur amor latebras iramque fatetur :
gliscit enim semper dissimulatus amor.
Heu memini nuper proprios (quis fallat amantem ? )
cum peteres fuso victor ab hoste Lares :
et vidi et plusquam vellem tua crimina novi,
nequitiae vidi plurima signa tuae.
Martia jam pubes pugnae simulacra ciebant,
procurrens hastas alter ad alterius.
Huc alacri spectandus equo tu tendis et auro,
floribus et summos tectus ad usque pedes.
Et castigatos cingebat parva capillos,
hei mihi, non manibus texta corona meis !
Martius ut campum sonipes te invexit apertum,
aemula mox oculis quaeritur Alba tuis.
Non te armata cohors, non te Mavortia pubes,
dulcia non pugnae te simulacra movent :
tantum inventa oculis animoque moraris in Alba,
una stat in tanto conspicienda foro.
Quis vel hebes vestros oculos vultusque loquentis ?
Alterutro quis non vidit ab ore notas ?
Quis non vestra palam sensit suspiria ? Quis non
ora modis vidit pallida vestra novis ?
O dolor, o pietas, cui jam moritura relinquor ?
Quae ratio est vitae spesque futura meae ?
Quove meo infelix facto, quo numine plector ?
Quove iram merui crimine, dive, tuam ?
Nam teneris unum colui te semper ab annis,
et crescente meus tempore crevit amor.
Judiciumque tuum semper meruisse benignum
et studui sola posse placere tibi.
Hos annos, hunc inquam animum corpusque dicavi
illaesamque tibi tempus in omne fidem.
Cetera praetereo ; quae non fecisse misellam
me piguit, quamquam nunc meminisse pudet.
Me tamen haud tanti, si quaeras, paenitet ausi,
nec bene de tanto promeruisse viro.
Nam non parva meo conjuncta est gloria facto ;

quodque ego sum multae forsitan esse velint.
Non ego sum, fateor, te principe digna puella,
non ego sum tanto digna supercilio.
Qualiscumque tamen, non sum deformior Alba,
teque vel hoc ausim judice nempe loqui.
Non genere aut animo, non forma aut moribus illi,
non meritis equidem sumve secunda fide.
Ast illam nunc sola facit tua gratia primam,
judicio cunctis jam placet illa tuo.
Quis nisi mentis inops quod laudes improbet ? Heu heu,
quam tutum est summis posse placere viris !
Regibus est pretium placuisse potentibus illud,
nam quod amant ipsi, cetera turba colunt.
Dum tua dicta fui, populo laudabar ab omni,
et tibi dum placui, non reprehensa fui.
Nam cedente meo cessat fortuna favore,
felices sequitur semper ut ipse favor.
Nec nostri tam nunc miseret, dux inclyte, quam quod
extremus vitae sit dolor iste meae,
corpore quod gemini per te morientur in uno,
quorum alter fuerat, te duce, dignus ope.
O miserande puer, matris dolor, ante sepultus
quam genitus, lucem raptus es ante tuam.
O iratis concepte deis peritureque matris
crimine, cur facto plecteris ipse meo ?
Vos pia desertae succurrite numina matri
et placate meum, qua licet arte, ducem.
Et tu parce meum factis augere dolorem,
o vitae, princeps, insidiate meae.
Quod meriti si qua est, aut nostri gratia facti,
placandi superest spes mihi si qua tui,
si qua tibi veteris superest pietatis imago,
te precor Isottae jam miserere tuae.

## POETA AD DIVUM SIGISMUNDUM PANDULPHUM MALATESTAM.

I2_06
Quamquam, dive, tuas cupio qui demere curas,
ipse pari indigeam non minus aeger ope,
me tamen haec pietas tibi scribere pauca coegit
et fidei suasit gratia longa meae.
Non quia posse tuum sperem sedare dolorem,
nec penitus lacrimas rejicere inde tuas.
Non fuit haec caris tantum communis amicis,
civibus aut merito dira procella tuis ;
non Malatestigenas spectat jactura nepotes,
non solum maestum spectat et ista patrem :
flebilis ast istos deflevit Isauria casus,
nec Ligures lacrimis abstinuere piis.
Isotta siquidem soboles ut digna parente,
sic erat illustri digna futura patre.
Non poterat tanto conceptus sanguine nomen
obscurum Latio ferre sub orbe puer ;
nec Malatestarum quisquam de gente nepotum

indole vel tantum spe superasset avos.
Talem igitur, princeps, merito deflemus ademptum,
qui mihi spes fuerat, fama futura tibi.
Sed jam parce suum lacrimis violare sepulcrum
et fletu Manes sollicitare pios.
Si quis enim (quod et ipse reor sit) lumine cassis
sensus inest, gemitus heu dolet ille tuos.
Ut sua mortali resoluta est carcere, felix
mox est ad Superos vita relata deos.
Illic aeterna jam pace beatior, illic
jam fruitur propriis invidiosa bonis.
Jam sanctis admixta choris, comitata Roberto
fratre tuo, Superis porrigit usque preces.
At vero quamvis tumulo claudatur acerbo
corpus, habet natus vivat hic unde tuus.

## SIGISMUNDUS PANDULPHUS MALATESTA AD AMOREM

I2_07

Quid, crudelis Amor, violata per ossa recursas ?
Quid debellato rursus in hoste furis ?
Emeritus tandem miles post multa quiescit
vulnera, post longum bos vacat ipse jugum.
Fortis equus quondam qui vicit Olympia, tandem
fit gravis et viridi saepe recumbit humo.
Fine dato demum quaeque ars dediscitur usu ;
quicquid agas certum novit habere modum.
At mihi quem fesso finem dabis, improbe, amandi ?
Quodve quiescendi, perfide, principium ?
Cornu jam tardo, vacuis jam parce pharetris
et nimis urentes comprime, dure, faces.
Parce : tuis in me desunt loca certa sagittis,
plaga terit plagam, vulnere vulnus inest.
Non ego quaero tuis missus secedere castris,
nec peto sit nullus, sed minus asper amor.
Otia sive domi, seu me procul arma lacessunt,
tu bello semper, tu mihi pace comes.
Nuper eram patria Caesenam ex urbe profectus,
sic ratus ardores fallere posse meos.
Credidi enim, aspectu si longius urbis abessem,
paulatim elisus excuteretur amor,
lascivoque oculus quantum distaret ab usu,
tam foret a votis mens aliena suis :
scilicet ut nullo quaeque ars dediscitur usu
et desueta ferox frena recusat equus.
Justa fides, sed vana fuit duplicataque saevus
tela per absentis pectora tendit amor.
Mille celebrabant illic hymenaea puellae,
uxor erat fratri regia ducta meo.
Sfortias Estensesque nurus aderatque potentis
Insubrum proles unica Blanca ducis ;
et Montisferetri jam femina sola superstes,
unica spes tantae, gloria sola domus.
Centum aderant Helenae, centum Briseides illic,

quae poterant caelo quippe vocare Jovem.
Protinus ad caram rediit mens nostra puellam,
omnis in Isotta mox mihi cura fuit.
Quid thyasi ? Quid serta juvant ? Quid purpura longo
ordine ? Quidve novis ducta chorea modis ?
"Illa puellarum decus insuperabile", dixi,
"illa meae requies unica mentis abest".
Ipse etenim referam : multas licet ipse puellas
invenies generis condicione pares,
non tamen Ausoniis ullam, me judice, terris
invenies forma vel probitate parem.
Lumina quid referam Phoebo crinesque Dianae
et sua Paestanis aemula labra rosis ?
Nil penitus mortale sonant sua verba, nec artes
Pallas habet plures, nec Venus alma jocos.
Quicquid agit juvat hoc et mi placet omne quod illa
efficit : illa mihi sola puella placet.
Unde secuturus tua miles castra, Cupido,
gaudeo quod talem sortior ipse vicem.

SIGISMUNDUS PANDULPHUS MAL. DIVAE ISOTTAE SAL.

I2_08

Parve lapis, toto quo non Oriente repertus
rarior, Eois major et alter aquis,
te viridem cunctis, adamas, praelata puellis
misit amatori nostra puella suo.
Felix laude tuae lapis o formose puellae,
o modo de facili saepe volute sinu.
Nam memini niveis cecidisti forte papillis,
dum nivei aptaret candida vincla pedis ;
nec mirum viridem si te natura crearat
dissimilisque aliis si fuit iste color,
dissimilem dominam lapis o sortite puellis
omnibus, aeternas vincat ut illa deas.
Dissimilisque aliis amor est suus ; o mihi qualem
esse animum tanto munere rere, lapis !
O tibi si sensus natura dedisset et ullas
ipsa tibi voces verbaque grata mihi,
tu mihi nunc quid agit tandem mea vita referres ;
tu tamen ah quid agat, parve lapille, refer.
An cupit egregios videam non durus ocellos ?
An cupit in tenues te referam tunicas ?
Dic quid agit demum : sanctos si forte poetas,
si legit annales, si legit historias ;
aut me si exspectat, si me cupit usque videre,
si velit in nostros saepe venire sinus.
Talibus affatus parvum, mea vita, lapillum,
ad te jam redeo, quam mihi junxit amor,
quam gemmis fulvoque decet praeponier auro :
o mihi jam cunctis anteferenda bonis.
Ergo ego nec lapides gazasve Oriente petitas,
nec prae te optarim maxima regna Jovis.
Sit licet hic rarus, similis cui nulla lapilli

sit facies, cujus mira figura micet ;
non tamen hic lapidum fuerit mihi rarior inter
tot genera et tantas nunc quoque divitias,
quam tu cunctarum species pulcherrima rerum,
inter tot magnas numina vera deas.
Non erimus certe immemores meritique tuique :
munere pro tanto munera magna dabo.
Ipse animum mentemque tibi corpusque dicabo,
perpetuam efficiet gratia tanta fidem.
Donec Ariminei pulsent mea moenia fluctus,
abluat et placidam caerula Doris humum,
nomen et Isottae totis nova gloria terris
surget et aethereos ibit adusque polos.
Tu modo perge meos mens non mea linquere amores ;
sed tibi qualis ero, talis es ipsa mihi.
Fidus ero, mihi fida precor sis, diva. Quod oro
jam cupit illa nimis, nec minus efficiet.
Illa nihil praeter quod me juvet efficit ; illa
me colit, illa meum sustinet una caput.
Hanc ego divitiis praeponere et omnibus armis
constitui et nostro protinus arbitrio.
Tu sola affectus varios animumque volentem
ducis in ingenium, dia puella, tuum.
O parere queam dominae sine fine jubenti
et mea servitio sit data vita tuo.
Non ego vel pro te vitem quoscumque labores,
ipse nec aestivi tempora adusta canis.
Sive fretum pedibusve velis cava litora carpam,
seu terras montes duraque saxa petam,
omnia quae jubeas sint visa facillima nobis,
sive velis nulla quod ratione queam.
Omnia tentanti faveat solertia, certe
ingenii virtus sola puella mei es.
Quare non meritas refero tibi carmine laudes,
munera nec donis nunc quoque digna tuis.
At tibi quod potero, cunctis adamanta diebus
hunc ego, diva, tuo jussus amore feram.
Nec metuam magnos hoc me comitante vel hostes,
insidias metuam non ego deinde novas.
Et licet ipse tui non obliviscar amoris,
hic lapis efficiet me meminisse magis.

## SIGISMUNDUS PANDULPHUS MAL. DIVAE ISOTTAE SALUTEM

I2_09

Diva puellarum cunctis Isotta diebus
atque animi semper maxima cura mei,
fixa meis semper spes invidiosa medullis,
quantum Neritio Penelopea viro,
non ego discedens volui quae dicere plura,
ausus eram ante oculos cuncta referre tuos :
omnia quae melius referat tibi epistula oportet,
nuntia quae curas molliat una tuas.
Nam quod sollicita es maturi morte parentis,

qui senior campos venit ad Elysios :
parce, precor, crines turbare et eburnea colla
laedere et indignis ora secare notis ;
parce, precor, mea lux, lacrimis corrumpere ocellos
atque tuas largo rore rigare genas.
Andromache fratres carumque animosa parentem
flevit et exstinctam sola relicta domum ;
at postquam Hectorea surgebat gloria dextra
scilicet et Danaas praecipitabat opes,
cuncta repensabat conjunx carissima tantis
laudibus amissae damna priora domus.
"Tu mihi" dicebat "conjunx, carissima mater,
tu genitor, tu vir, tu mihi frater eris.
Dum tua magnorum videam monumenta laborum,
fortunae satis est mollior aura meae.
Dum freta prona bibent Xanthum Simoentaque magnis
fluctibus, aeternis flumina gurgitibus,
nomen et Hectoreum decus immortale manebit,
dum polus aetherea pascet in astra plaga.
Te propter, conjunx, fama Thebana manebit
Andromache nullis perdita temporibus".
Flevit et amissum Lyrnesia propter Achillem,
nec potuit lacrimas comminuisse suas.
Illa prius fratres tris, ah, patriamque domumque
viderat herboso procubuisse solo,
sanguineaque domum foedatam caede puella
heu misera in tantis una relicta malis !
Haec tamen invisi quondam solamen Achillis
lene tulit tanti praeda superba viri ;
nec fuit indignum magnas consurgere in iras
Atridemque minis Aeacidemque manu.
Illa nihil patriam amissam fratresque virumque
curabat flammis capta puella novis.
Sed solum Aeacidem semper cupiebat, ut esset
praeda bis in longis saepe voluta malis.
Ah quotiens fertur furtim voluisse reverti
et niveum castris exposuisse pedem !
Nec minus insidias, quas forte tetenderat hostis,
femineis nimium pertimuisse animis,
nonnumquam observans, custodes cauta tueri,
qua possit variis decipere ante dolis.
Interdum toto suspiria longa premebat
pectore et in vultu gaudia falsa dabat.
Haecine curabat patriam amissumve parentem,
an potius cari pectora nota viri ?
Andromeden fama est religatam cautibus altis
Persea mirandis dissoluisse modis.
Hanc pater et genitrix scopulis intendit iniquis,
digna quidem alato praemia tanta viro.
Illa virum, nullos potuit laudare parentes,
nec Cephi tanti regia magna fuit ;
tutaque debebat tam justo cuncta marito,
qui dederat subitae monstra marina neci.
Liquit et Oeten sumptis Medea venenis,
Aesonidem patriis praeposuitque bonis.
Teque ferunt acta quondam, Minoi, relictam

maxima Cecropiae sarcina visa rati.
Non te Pasiphae, non te Gortynia tellus,
non tenuit cari regia magna patris.
Quin etiam Aegidae clavamque modumque dedisti
filaque per curvas saepe reducta domos.
Ille dolum tendens chlamydem per cornua fratris
implicat et durum spargit in ossa caput.
Tune igitur poteras praeponere Thesea fratri,
cui soror insidiis anteferenda fuit ?
Tale nihil, mea spes, caro molita parenti,
venisti in nostros magna puella sinus.
Quod si forte pater longos impleverat annos,
flenda tibi non est debita Parca senis :
cui data si fuerat fati jam meta futuri,
non erat haec longos quippe datura dies.
Et labor atque cadens in deteriora senectus
sollicitat laesos nam quota turba senes.
Infelix Priamus circum sua moenia tractum
vidit Achilleis Hectora curvus equis.
Quam satius fuerat primum periisse parentem,
quam nati ante oculos corpora versa sui !
Vidit et Antilochum tam multos Nestor in annos
servatus Phrygia procubuisse manu.
Quam mallet Lapithum bello cecidisse superbo,
aut Meleagraeo praecipitatus apro.
Te divam terris liquit pater optimus ; o quam
terque quaterque tuo numine laetus obit !
Ille vel aethereis pro sedibus astat et unam
progeniem jactat te procul esse suam.
At te si nequeant cari benefacta parentis
mulcere, o cunctis digna puella bonis,
hoc mihi da meriti solidum, pulcherrima, si quid
noster amor fidi pignoris instar habet :
ne lacrima, flavos manibus neu scinde capillos,
neve tuas fletu sparge, puella, genas.
Aut si perpetuo sedet indulgere dolori,
credere me semper posse dolere velis.
Dii melius jubeant, nec nos maerore teneri,
quos juvat aeternum desidiosa Venus.
Quare si cupidum, mea mens, non spernis amantem,
fac modo sollicito pectore maeror eat.
Quod si, diva, facis, dum me mea vita manebit,
dum mea vitalis spiritus ossa reget,
ingentis referam tanto pro munere grates,
per Martem juro bellaque agenda mihi :
bella quibus nostri totum fama occupat orbem,
et decus et magnis gloria digna viris.
Nulla puellarum te clarior inde futura est,
nec tantum nomen Tyndaris ipsa feret,
nec tantas laudes Pelopis laetissima conjunx
victa per incertas Hippodamia rotas.
Jamque vale incinctae vultus, Isotta, Dianae
aequalis, sanctas inter habenda deas.

ISOTTA ARIMINENSIS DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MALATESTAE

I2_10

Nuper ab invisis quae venit epistula terris,
Sigismunde, tua littera facta manu,
grata quidem, nec enim quicquam nisi dulce dedisses,
nuntia quae curas molliit una meas,
suasit ut amissi merita pro morte parentis
nolim animos curis sollicitare meos.
Haec utinam, princeps Italarum gloria rerum,
arbitriis esset cura levanda meis.
Nos animi servos fecit deus igneus, ille
regnat et huc illuc corde sequente volat.
Quin etiam caros quae jam liquere parentes
et patriae externos praeposuere suae,
innumeras referens animo praestante puellas,
ducis in exemplum facta priora meum.
At non Hypsipyle carum est oblita parentem,
effera nec carum Penthesilea patrem.
Namque Thoanteis nuda est qua Lemnos in oris,
quaesierat trepidum turba nefanda senem ;
Lemniadesque viris genus implacabile texens
insidias, miseros corripuere viros.
Nec mora et Hypsipyle muliebribus arsit in armis
vicinumque rapit pene Thoanta neci.
Penthesilea suis quae texit Amazonas armis
femineos inter saeva puella choros,
harum animis patrem medioque furore recepit :
tantum amor et pietas justaque facta valent.
Liquit et Atriden carum revocata parente
Chryseis, Danais pestis acerba viris.
Portaratque manu splendentia munera Chryses,
munera magnanimo non capienda duci.
Nam sceptrum ad proceres solidum Phoebique coronam
attulit et tali voce locutus erat :
"Dii jubeant, Danai, Priami eripiatis ut urbem
et faciant patrias deinde redire domos :
reddite progeniem caram Chryseida patri
accipite et magni munera magna dei.
Latonae atque Jovis prolem ne temnite, magni
Graiugenae, genitor vosque ducemque rogo".
At ferus Atrides convicia solvit in illum
rettulit et timido verba superba seni.
Ille nihil contra, neque enim timor ipse sinebat.
Venit ad irati maxima templa dei :
"Summe deum arcitenens Crisai tutor Apollo,
qui Cyllam et Tenedi regna beata tenes,
dent Danai poenas lacrimis, pater inclyte, nostris,
si qua tuis templis sacra benigna dedi".
Ille sacerdotem summis audivit ab astris
iratoque fremens corde sub axe volat,
spiculaque accinctus circumtectamque pharetram
venit ad invisos corpora Graia viros.

Et procul incurvans divinis viribus arcum,
praevenit insidiis castra inimica suis ;
terribilisque fugit nervo resonante sagitta,
perque novem ad populos venit amara dies.
Jam decimos rediens Aurora retexerat ortus,
Puniceos decies Ida recepit equos :
nec prius immissam cladem removeret Apollo,
quam data sit caro tanta puella patri.
Ductorem Danaum nota pietate parentis
liquit et ex illo tempore casta fuit.
Adde quod infelix absum, fortissime princeps,
nunc quoque Arimineis una relicta locis.
Haud tibi turpe tamen fuerat, si femina tecum
venissem jussis castra secuta tuis.
Pro Turni auxilio venit pharetrata Camilla,
Alciden conjunx saepe secuta fuit.
Atracis ante virum venatu exercita duro
hortata est celeres Hippodamia canes.
Atlante ante viros flavi clades Meleagri
fixerat invisae colla nefanda ferae.
Ille caput tanti spolium pretiumque laboris
tradidit : hoc tantum digna puella fuit.
Dicitur Andromache mediis speculata Pelasgis
congressum e muris Hectora saepe suis.
Illi animos conjunx dabat inclyta, sola maritum
movit : erat tanto causa puella duci.
Non tibi certe animos possem dare, maxime, quando
solus es in magna fortior Italia ;
at possem fessum, si te fera bella fatigant,
in dulci reducem saepe fovere sinu.
Hoc mihi longaevi posset removere parentis
maerorem et lacrimas comminuisse meas.
At cum nec tua vox, nec me tua movit imago,
nil superest animis ni pater ipse meis.
Mors venit ante oculos cari instaurata parentis,
astraque crudeles testor et ipsa deos :
"Crudeles divi, qui me servastis amantem,
linquerer ut patrio sola relicta Lari ;
aut mihi, quod caro genitori triste dedistis,
aut date magnanimum saepe videre ducem.
Ille animos poterit miserae lenire dolentis,
ille facit curas solus abire meas.
Reddite, si vultis tantos abolere dolores,
Sigismundeas diique deaeque genas".
Quod si fata negant, sequar ipsum morte parentem,
qualibet attonitam morte perire juvat.
At potius mea spes animi non irrita nostri,
Sigismunde, meum tempus in omne decus,
Isottae miseresce tuae, quae te, optime rerum,
sospite, crede mihi, sospita semper erit.
Tu mihi pro solita tantum pietate rependes,
ut possim cari non meminisse patris :
tantum amor ille tuus, tantum tua facta benigna
atque fides, animi pignora prima tui ;
tantum etiam virtus tua me movet, o nova semper
gloria in aeternos non peritura dies ;

famaque jam totum quae sit ventura per orbem
et nova Maeonia bella canenda tuba.
Quantus Eryx superat nubes et Pelion ingens,
aut qui verticibus sidera torquet Atlas,
qui caelo caput atque pedes tellure recondit,
horrida cui gelidis barba riget nivibus,
tanta tuae venient olim praeconia famae
atque tuum nomen quisque poeta canet.

## LIBER TERTIUS

ISOTTA ARIMINENSIS DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. SAL.

I3_01

Mollia floriferi redeunt jam tempora veris
solvitur et liquida candida bruma nive.
Pullulat omnis ager, certant in germina vites
effunditque suas quaelibet arbor opes.
Et passim gelidi laxant sua flumina fontes
et juga canitiem deposuere suam.
Omnia laetantur ; resonant dumeta volucres
atque suum queritur Cecropis ales Itim.
Jamque rosis hederaque comas redimita juventus
visit odoratas annua pompa vias.
Mollia jam violis nectens vaccinia vernis
donat amatori quaeque puella suo.
Sola ego non volucres sensi zephyrosque tepentes,
non gratam verni temporis ipsa moram.
Nulla ego divinis persolvi munera templis,
nulla ego amatori florea serta meo.
Sed lacrimis implere sinus, sed plangere pectus,
sed madidas fas est ungue notare genas.
Nam duce quae possim caro mihi tristis adempto
gaudia, quos maesta fingere mente jocos ?
Tu nostros tecum risus, tu gaudia solus
verque meum tecum, rex animose, rapis.
Ah ferus et nimium teneris ferus ille puellis,
qui assuevit Latias primus ad arma manus !
Perpetuis certe dignissimus ille catenis,
aut cadere inventa dignus ab arte fuit.
Primus hic humano violavit sanguine leges
et vi temptavit quod rationis erat.
Tum primum posito signata est limite tellus,
protinus et duris sollicitata viris.
Quaeque videbantur vix cognita piscibus ante,
mox freta sunt cupidis pervia facta viris.
Tunc etiam validis armatae moenibus urbes
discordesque nimis in fera bella manus.
Hinc mihi tu, regum clarissime, nuper ademptus,

et lacrimae et gemitus venit abinde meus.
Namque lacessitus peregrinis nuper ab armis
occlususque tuam flagitat Arnus opem.
Impiger ipse volas, volucri neo segnior aura
effugis amplexus, rex generose, meos.
Non te noster amor, non te mea movit imago,
qua possent, videant, illacrimare ferae.
Hei mihi qualis eram cum te moribunda viderem,
ut strueres fortes mox abiturus equos.
Nam galeas conis hi nobilitare superbis,
hi phaleras, clypeos hi renovare cavos.
Hinc alii patulis tentoria tendere velis,
secura aestivum mox subitura canem.
Telaque barbaricum nova mox hausura cruorem
diversis alii pingere imaginibus.
Tu vigil instabas operi rebusque superbis :
mente, oculis praesens rebus ubique tuis.
Jussa dies aderat mihi te raptura, supremum
sollicitumque morae quae tibi tempus erat,
et tuba jam lato discreverat agmina campo :
hinc pedes atque illinc splendidus ibat eques.
Tum memini nostro nectens pia brachia collo
et lacrimans dixti : "Cara puella, vale".
Nil nisi singultus potui tibi reddere ; sed mens
"Sis felix" inquit, "sis memor usque mei".
Inter mille viros fueras spectabilis unus,
inter ut ipse suos maximus Hector erat.
Et bene si vidi, bene si tua colla notavi,
in vultus novi saepe reflexa meos.
Non aliter laedunt fugientis spicula Parthi,
lumina quam tua tunc pectus iniqua meum.
Jamque acies nostros effugerat omnis ocellos
quodque videretur nil nisi pulvis erat :
tunc gemitus coepere mei, tunc corpore toto
collapsam famulae sustinuere meae.
O dolor, o rebus fortuna inimica secundis,
quam cito quod dederas sponte, proterva rapis !
Ergo ut opem ferres populis animosus Etruscis,
sum tibi cum patria sola relicta tua.
Aemula plus tandem superandi gloria Gothi,
quam lacrimae, gemitus quam valuere mei.
Scilicet assuetam sperasti posse dolorem
et desiderium mitius usque pati.
Nam didici primis hoc unum semper ab annis,
absentem frustra saepe relicta queri.
Vix bene me noras, ego te, cum parvula primum
militiae sensi serpere damna tuae.
Picenum memini cum rex vastabat opimum
Sfortiadumque amplas Marte premebat opes
et desperatis cedebant undique rebus
Sfortiades : spes his sola superstes eras.
Me patriam natosque et caras deseris urbes
et socero auxilio, dive, futurus abis.
Ille etiam populis quondam stupor omnibus unus,
quo Perusina diu terra superba fuit,
Romanas acies dux Piceninus agebat

in soceri et cladem protinus ille tuam.
Impune hunc fama elatum rebusque secundis
ausus erat nemo sollicitare prius.
Ausus es unus et hic tantis occurrere factis,
parque animo tanto, par quoque Marte duci.
Te duce nunc etiam montisque cacumina Lauri
sanguineque hostili Scarpacis ora rubet.
Vix bene Piceno sedatis margine rebus
inque vicem caesis vix bene foederibus,
ecce autem Venetos Anglum vexare Philippum
et temptare aditus, nuntia fama refert.
Illicet accinctus labentem pergis amicum
et mira tantas comprimis arte minas.
Hoc demum tantis restabat, dive, periclis,
hoc gestis unum, rex animose, tuis,
solus ut auderes populos invictus Etruscos
fulcire et tantos deseruisse Lares.
Jam quotiens bello populos fortuna lacesset,
Herculeum quotiens terra parabit opus,
ad te perfugient reges populique potentes,
sic jam perfidiae publicus ultor eris.
Nulla reor tandem sine te jam bella gerentur,
auxilio dabitur vincere cuique tuo.
Amphitryoniades per mille pericula tandem
ad Superos perstans sic sibi stravit iter.
Ille tibi Eurysteus oriatur et altera Juno,
imperiis quorum non adeunda petas.
Ista quod indomitae si stat sententia menti,
aeternum ut cupias Martia bella sequi :
quin potius sumptis imitabor Amazonas armis
et tua peltato pectore signa sequar,
scilicet ut quondam mediis in millibus ardens
praestabat fortes Penthesilea viros.
Nec cecidit bello non ulta Camilla Latino
et plures, quarum nomina multa legis.
Cur ego ab exemplis ausim non proelia tantis ?
Te mihi quid verear bella subire duce ?
Nec, duce te, horrescam torpentis frigora brumae,
nec fugiam Icarii signa proterva canis.
Quod si bella geri placeat, dux magne, tibi uni
et sine me fortes vincere Marte viros ;
parce, precor, certis propius te offerre periclis,
tempore tum moneo quaere redire brevi.

DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. POETA SCRIBIT

I3_02
Dulcis Apollineas inter mihi summa Camenas
Calliope, nostrum tempus in omne decus,
tamne diu taceas Pandulphi maxima regis
proelia, magnanimi splendida facta ducis ?
Qui nunc barbaricos Italis a finibus hostes
expulit, o magna bella canenda lyra !
Sigismunde, igitur numquam tua facta tacebo,

Italiae servas qui pia regna tuae.
Maxima magnanimi quis enim tacuisset Achillis
bella ? Vel insanus, dulcis Homere, fores.
Hannibalem quis non cithara cantaret eburna ?
Aut cui grande decus jam sua Troja fuit ?
Scipiadas duros ingratus inane jacentis
corpus in occulto quis sinat esse solo ?
Tene igitur sileant nostrae, fortissime, Musae,
cum superet priscos jam tua fama viros ?
Qui regem et socios captis decedere terris
fecisti, o tantis optime consiliis.
Venerat Ausonias etenim rex barbarus oras,
cui tantos animos septima regna dabant,
antiquas gentes Etruscaque moenia temptans,
atque Fluentinas terruit ille domos.
Nec mora longa, jubes fulvis circumdatus armis
tutari Hesperiam, maxima regna, tuam.
Undique miles adest, primus tamen ipse frementes
cogis equos, princeps ipse reposcis equos.
Te procul ut vidit tumulo rex unus ab alto,
ingemit ; it gelidus tarda per ossa tremor.
Sigismundus erat summis in montibus, unde
spectabat liquidi litora lata maris ;
tum dulcis colles, jucunda cacumina celsi
montis, Arimineis qualiter ante jugis.
Et similis facies cunctorum vera locorum,
qualis et in patrio visa erat ante solo.
Ipsa videbatur patriae retinentis imago,
certa ducem ad patrios velle vocare Lares.
Atque loci similis tanto permotus amore,
tum meminit dominae forsitan ille suae.
Illa quidem patria fuerat dimissa relicta,
pulchrius in toto qua nihil orbe fuit.
Ille recordatus tenerae caraeque puellae,
suspirans forti constitit acer equo ;
atque ita pauca prius de se Pandulphius heros
questus, cur dominam liquerat ille suam :
"Quid modo, siquis", ait ,"raperet mihi barbarus illam,
rapta erat ut Phrygio Tyndaris ipsa viro ?
Quamquam perpeterer non his Alphonsus ab oris
duceret ad patrias praemia tanta domos.
Spes tamen in dubio est ; Etruscaque moenia temptat
et pavor Ausonios occupat usque viros.
Si capit Italiam (omnipotens quod vertat in auras
Jupiter), Hesperios non feret ille duces.
Barbara gens etenim numquam fuit ulla Latini
nominis et nostrae gentis amica diu.
Sed neque vincemur, neque enim gens Itala vinci
novit adhuc, neque enim barbara tela timet.
Exemplone prior venies, Alphonse, futuris
gentibus, Italiae ne quis in arma ruat ?
Hannibalem magnum patrias revocavit ad oras
Scipiades, patriae gloria tanta suae.
Et fertur magnus Gallos stravisse Camillus
signaque de mediis hostibus ille tulit.
Ast ego postremos fundam Pandulphus Hiberos

et veniam patriae gloria magna meae".
Talia magnanimus fatur Pandulphius heros,
omnia mente movens, cuncta futura putans.
Hilva fuit contra, terra est antiqua ; trecentos
subsidio Trojae miserat illa viros,
cum ferus Iliacos terrebat milite muros
Turnus et audaci moenia prima manu :
insula fulmineis graviter quae feta metallis
despicit aequoreas vertice montis aquas.
Hic ubi visa loci facies aptissima pugnae,
congreditur forti milite prima manus.
Sigismundus eo cunctis prae millibus unus
ibat inaurati tergore vectus equi,
Castora magnanimum sumptis imitatus habenis,
quique deo fuerat Cyllarus, ille viro.
Qualis ubi ad bellum veniens Mars, inclytus armis,
proelia cerulea Pallade stante gerit,
talis ubi agnovit pavitantes maximus heros,
fertur in adversos frena tulisse viros.
Geryonemque celer, pictis qui stabat in armis,
horridus audaci dejicit actus equo ;
hastaque sanguinea transfixit cuspide pectus
armaque pulvereo vasta ruere solo.
Ingemuere omnes lacrimasque dedere secuti ;
natus erat priscis maximus ille viris.
Antiphatenque volans, quo non velocior alter,
occupat et duro dividit ense caput.
Talia magnanimus primo certamina campo
Sigismundus agit, bella cruenta gerens.
Mars erat ante virum, flava comitante Minerva,
et Venus audaci candida juncta deo.
Alma Venus mentem carae meminisse puellae
prima dedit peploque attigit ora sacro,
ambrosiumque animo miranti fudit odorem
illius et coram talia verba tulit :
"Magnanime heroum fortissime, nam quis adire
Italiam saevos perferet usque viros,
rapturos dominamque tuam facilesque Latinas ?
Barbara gens etenim talia bella gerit.
Vade age, tolle moras, magnae serva, inclyte, Romae
moenia, serva Italos regna superba tuos".
Talibus illa virum dictis incendit ad arma,
Mars quoque terribili fatur et ipse sono :
"Sigismunde, viros inter fortissime primos,
nunc jubeo cari te meminisse patris.
Ille quidem magni vel Caesaris arma referre,
Hectoris aut potuit maxima bella pati.
Talis ego adjutor fueram, vir magne, parenti
Pandulpho, docui quem deus arma sequi.
Numine sub nostro populos urbesque subegit.
Nunc ut ei fueram, jam tibi fidus ero".
Talibus incensus dictis Martisque favore,
coepit in adversos acrius ire viros,
praecipitansque moras regem petit ecce superbum
turbat et armatos Marte sequente viros.
Viderat adverso venientem litore primus

barbarus et nigram conspicit ille ratem,
imperitatque trahant spumosa ad litora puppem
ocius et celeris adjuvet aura vias,
nec mora, conscendit paucis comitantibus illam
caeruleasque secat turbine vectus aquas.
Cetera turba fugit, capitur pars maxima : captos
Sigismundus agit maximus ante duces.
"Magne triumphe veni, jam vicimus" undique miles
clamat : "io, magnos vicimus ecce viros.
Sigismunde, decus Latiarum et gloria rerum,
dent tibi Nestoreos diique deaeque dies,
ut Malatesta prior veterum decus omne virorum,
ut superes generis maxima facta tui".
Talia militibus celebrantur et Itala gens te
laudat et Italiae te jubet esse ducem ;
imperiumque tibi miro dignatur amore,
Italiae serves quo pia regna tuae.
Jamque vale, princeps, nostrae spes maxima famae,
Pieridum custos Pieridumque pater.

SIGISMUNDUS PANDULPHUS VATI SUO SAL.

I3_03
Grata mihi patriis venit modo littera terris,
littera quae laudes concinit usque meas.
Grata mihi ante alios scribis quaecumque, poeta
clare, nec ullius carmina grata magis.
Tardus ad haec tamen es nimium raroque jocaris
nobiscum. O longas deme, poeta, moras !
Aut me longa tenent hic taedia temporis acti,
quod tua reddatur littera nulla mihi,
quod tua non loquitur praedulcis epistula mecum,
tempore quod tanto scilicet ipse taces ;
aut me sollicitat timor hic, quod negligis illum,
qui colit et Musas Pieridumque choros.
Scribe igitur, vates, curas mihi deme molestas
saepe, precor, curis jamque medere meis.
Orphea saepe ferunt laudes cecinisse jubenti
Alcidae et magnis carmina grata procis.
Nec minus auratam petiisse per aequora pellem
Heroas vates ille secutus erat.
Dorsa super rapidi maris horrida laetior ibat
caeruleas scindens Thessala puppis aquas.
Ille inter fremitusque maris fluctusque sonantis
cantabat laudes, Calliopea, tuas ;
illum etiam liquidis sensit Neptunus in undis
spumosisque natans caerula Doris aquis ;
ille ratem scopulos et mille per avia traxit
perque tuum victor, vasta Charybdi, fretum.
Carmine Scylla tacens canibus caruisse marinis
creditur et nullam corripuisse ratem.
Aesonides illum gelidis miratus in undis
credidit Ismarios numen habere deos.
O quotiens Medea virum mirata canentem

carminibus stupuit barbara capta novis !
O quotiens magicos voluisset perdere cantus
et magis Orpheae plectra ciere lyrae !
Dona reor divum quaecumque habuere poetae
munera, vel vates barbara turba colit.
Quare age, scribe libens, ut dulcia carmina nobis
solentur rigidi jam grave Martis opus.
Vera mihi nimium cecinisti nuper, ut olim
movisset vires terra paterna meas.
Hilva quidem similis nostris fuit optima terris
et similes colles et juga summa jugis
et mare caeruleum, liquidis quod verberat undis
marmora litoreis spumea facta vadis.
Omnia Arimineis poteram componere terris,
sive velim pelagus, litora sive velim.
Utque recordabar tenerae caraeque puellae,
quae fuerat patrio sola relicta solo !
Vera canis, fateor ; quid enim meminisse pigebit
illius, aeternum quae decus una mihi est ?
Illa animos viresque mihi roburque ministrat,
gloriaque haec nostri magna laboris erit.
Non ego barbaricas fudissem in litore gentes,
nec tantas parvo milite regis opes,
ni mea lux animos subiisset et unica nostros
gloria, quam propter Martia bella gero.
Nec mirum, propter si quis pugnarit amorem,
victor erit, Marti si favet ipsa Venus.
Ipsa Venus docuit durum mansuescere fratrem,
illius auspiciis pectora turbat amor.
Illa fores aperit clausas et limina amanti
blanditiasque movet callida diva novas.
Illa Parin Graias victrix deduxit ad urbes,
cerneret ut vultus, Tyndari bella, tuos.
Illa Helenen docuit cupido concedere amanti
Trojano et cautis verba tacere notis.
Omnia quae melius faciunt, quam scribere amantes
norunt, quam placidis facta referre modis.
At te si qua mei jam gratia tangit amoris,
scribe tuo, vates, carmina grata duci.
Quod si saepe tui reddatur epistula nobis,
non subeant animos taedia longa meos ;
sola nec ipsa dies superare videbitur annum
perpetuum, ut nunc est cura molesta mihi,
quam solum placidis possum deponere Musis,
quas de Castalio vertice solus agis.
Cantus alit placidam dulci modulamine mentem,
cantus agit segetes vipereumque genus.
Pisce super curvo vectus cantabat Arion,
Daedalus in clausa carmina turre dabat.
Inter et errores varios cantabat Ulysses,
et moriens tremulo gutture cantat olor.
Omnia carminibus prisci cecinisse feruntur,
illa fuit primis gloria temporibus.
Vera tuo nobis versu, memorande, dedisti
omnia, quae, vates, littera missa tulit.
Scribis enim quianam carae meminisse puellae

dicar et ut vires juverit illa meas :
tantum amor et pietas, tantum nova gaudia possunt,
atque fides, Manis quae revocare potest.
Pyramus ut vidit labenti lumine Thisben,
sustulit ad cupidas lumina fessa genas.
Sic ego cum memini dominae inter Martia nostrae
proelia, ab Infernis sum revocatus aquis.
Si memini faciem, faciem vidisse juvat me ;
si subeunt crines, gaudia nostra coma est ;
denique si teneros jactans Isotta lacertos
movit, habent animos brachia mota meos ;
sin oculos flexit frontemque modesta decoram,
uror, io, flammas tolle, puella, graves.
Tolle faces, Isotta, novas, Isotta, furores
deme, meis quaeso parce, puella, animis.
Non medicaminibus, non succo pendet amaro
tracta cutis, non te falsa medela juvat.
Talis eras primum cum te vidisse recordor,
qualis es ad multos ausa manere dies.
Munera, crede mihi, tibi sunt divina tributa,
queis licet aeternum non periisse decus.
Aurea cui dederit divina potentia dona,
Persephone exustis auferet una rogis.
Sed tamen heu timeo, ne quid tibi fata minentur,
inscia nescio quid mens mihi triste dedit.
Nescio quid media vidi mihi nocte parari :
somnia sunt animis dira voluta meis.

SIGISMUNDUS PANDULPHUS MAL. DIVAE ISOTTAE SAL. DICIT

I3_04

Quae modo visa meam temptarunt gaudia mentem,
perlege, diva, novis irrita vota jocis.
Namque ego magnanimo remeabam victor ab hoste,
nuper ubi Etruscis murmurat unda vadis.
Obvia vis hominum, juvenum manus atque puellae,
ante oculos steterant millia multa meos,
perque vias omnis cuneos fecere frequentes
et crebris studio se statuere locis.
Atque inter tantos propero dum intrare tumultus,
a tergo postquam porta relicta meo,
sublatis acies nostri suspexit ocellis
nescio quas niveas corde pavente genas.
Namque videbatur facies tua, diva, fenestris
stare, triumphantis et numerare duces :
idem habitus, eadem facies et vultus eodem
lumine, colla nova candidiora nive
oraque purpureis nimium formosa labellis
et nitor in solido corpore verus erat.
Obstupui atque illam fore te, mea vita, putavi,
corripuitque meas pallor utrimque genas.
Usque adeo alternat cupidos deus acer amantes
deque triumphanti saepe triumphat amor.
Obstupuere duces dum me comitantur, ovanti

qui modo eram similis, nunc quia tristis eram.
Elatis mea tum veniebant agmina signis
militiae comitum millia multa meae,
magnanimi proceres generosi sanguinis omnes,
experti magni Martis in omne decus.
Quod si non eadem, neque enim formosior ulla est,
esse videbatur nullaque talis erat.
Tale duae cupidum faciebant credere causae
me tamen et vultus cernere posse tuos :
prima quidem tantos quod tu spectare triumphos,
altera quod cuperes me quoque, diva, sequi.
Saucius ut fueram, potui tum dicere : vulnus
ut levet omne meum cara puella venit.
Venerat Ausonias quoniam nova fama per urbes,
barbaricas nemo fuderat alter opes.
Conventusque novos ex omni parte videres
et magnae populos confluere Italiae.
Virgineique chori sacrum Paeana canebant
et juvenes stratis corpora laeta viis.
Et captis omnis manus illudebat Hiberis,
qui dederant merito mille trophaea mihi.
Multa manus procerum, multi juvenesque senesque
clamabant laeta voce "Triumphe veni ;
victor io multos vivas, Pandulphe, per annos
vivat et invicti dextra fidesque ducis,
qui pius ut nostros posset servare Penates,
saucius et proprio sanguine victor adest".
Haec mihi prae cunctis populi cecinistis Etrusci,
altus inauratis ipse ferebar equis.
Sed nec pompa mihi, praeconiave ulla placebant
multaque quae possem facta referre tibi ;
incertusque animi mecum modo visa volutans,
quae foret illa prius scire puella velim.
Tum scitans novi quod non Isotta fuisset.
Ingemui, cecidit spesque animusque mihi.
Hos, Isotta, jocos tibi scribere deinde cupivi,
ut noscas qua tum mente, puella, fui.
Qui modo laetus eram, qui te vidisse putabam,
frigidior gelidis ipse fui nivibus.
Acer amor tantos potuit mutare calores !
Quam levis humanis mentibus errat amor !
Tum dixi : pereat sequitur quicumque triumphos,
si possit dominam deseruisse suam.
Famane post obitum cineres atque ossa juvabit ?
Quam cupiunt homines multa nefanda sibi !
Vivite dum fas est teneras et amate puellas :
haec una est summi maxima causa boni.
Quis, nisi stultus, eat medios periturus in hostes ?
Demens qui proprio sanguine clarus erit.
Vivite dum properant velocis tempora vitae,
vivite nec cupidos gloria mortis agat.
Non est Infernis in sedibus ulla voluptas,
omnis in exstincto corpore cessat amor.
Non ego nec claris adjuncta trophaea triumphis,
nec cupiam adversos sternere posse duces.
Mi satis iratam precibus placare puellam,

saepius aut dominae jurgia ferre meae.
Hic ego bella geram, procul o procul ite, triumphi.
Non ego vos propter vos habuisse velim.
Vos propter dominamque meam, vos propter amorem,
vos sequor Isottae motus amore meae.
Illa decus nomenque mihi mea vita datura est :
haec me si laudet, certe ego clarus ero.
Penelopen propter vivit scelerosus Ulysses,
gloria summa tibi est Hippodamia, Pelops.
Atlantam propter vivit Calydonius heros,
vivit et Aesonides munere, Phasi, tuo.
Sic ego amore tui tam dudum nomen habebo,
quam dudum stabunt sidera fixa polo.
Quare cum mea spes tu sis, mea cara puella,
respondere jocis incipe, diva, meis.
Incipe : vulnus erit mihi mitius, unde lacertus,
est gravis et vires abstulit ipse dolor.
Carmine, crede, tuo tristi de pectore langor
excidet ; acer amor vulnera saepe levat.
Vulnera doctus Amor medicata saepe pharetra
sanat et in vulnus cogit abire suum.

## ISOTTA SIGISMUNDO PANDULPHO MALATESTAE

I3_05

Venit ab Etrusca nuper mihi nuntius urbe,
Arnus arenifera quam secat amnis aqua,
quae caput est populis Tyrrhenae gentis alumnis,
nobilis et fama terra superba tua.
Hic mihi tam cupidae tua carmina reddere jussus,
reddidit atque jocos, rex animose, tuos.
Reddidit illa animos mihi epistula sola, nec umquam
laetior in patria sola relicta fui.
Nam postquam fueras tu saucius, ipsa reliqui
et mentem et sensus pallida facta meos.
Quin etiam narras tantam cum intraveris urbem,
vidisse ambrosias corde pavente genas,
quae mihi erat similis placidam vidisse puellam,
quae tenuit vultus sola puella tuos.
Vellem equidem, princeps, istic ea quippe fuisse,
neu miris utinam deciperere modis !
Vidissem pompas, vidissem laeta triumphos
magnaque quae celebris fama trophaea refert.
Namque ferunt postquam Florentia moenia adisti,
mille chori juvenum, mille fuere senum,
mille triumphantem placidae videre puellae,
te quoque mille duces laeta secuta manus.
Cetera pone cohors : densi venere manipli,
ordine quaeque suo jussa venire phalanx.
Hei mihi quam cuperem tot tete in millibus unum
praestantem ante alios cernere posse duces.
Nam mihi dent veniam cuncti quicumque fuere :
majestas fertur sola fuisse tui.
Tanta tibi vultus gravitas et regia cultu

insigni facies et nitor oris erat.
Talem commemorant Lycia te, Phoebe, profectum,
matris ubi antiquam Delon adire paras.
Ora in te juvenes laeti, Pandulphe, tenebant
fixa diu atque oculos femina virque suos.
Sigismunde, genus divorum maxima proles,
qui reges Latio cogis abire solo,
hic tibi de Pario statuemus marmore templum
atque triumphales, dive benigne, novas.
Aurea quin etiam tua sese ostendet imago
et nostrae ante oculos posteritatis eris,
norit ut antiquae tu libertatis et auctor
et fueris Latii gloria magna soli.
Num tibi laetitia mentemque animumque movebant,
cum canerent soli talia vota tibi ?
Undique fluxa virum Tyrio spectabilis ostro
gens erat ante oculos, rex memorande, tuos.
Maxima vis hominum tantos visura triumphos
venerat antiquae finibus Ausoniae.
Unum illud timeo, ne te nova raptet imago,
illius effigies quae tibi visa fuit.
Hei mihi si capiat quaecumque puella volentem
te nostros jam nunc deseruisse sinus.
O potius peream Stygioque allabar Averno,
Jupiter aut rapido me prius igne cremet,
quam possis aliam me sospite amare puellam,
durus et Isottae non meminisse tuae.
Sed neque fas de te quicquam mihi tale timere,
fidus ut o forti pectore ; dive, manes.
Non ea te virtus docuit, tua dextra fidesque,
non omni nobis tempore notus amor.
Sed ne sis miserae tamen ah suspectus amanti,
inde recede : loqui talia cogit amor.
Tu potius venias patriam, rex maxime, ad urbem,
si qua mei miserae te pia cura movet.
Ocius hostiles iterum prosterne phalangas
et preme jam fusos terque quaterque viros.
Aggredere et dulces iterum instaurare triumphos,
victricique ferox mille trophaea manu.
Et tu qui juvenis tantos jam fuderis hostes,
omnis quem solum barbara terra timet,
non poteris meritos famae jam perdere honores,
usque adeo virtus intemerata manet.
Quod Florentinam si forte reliqueris urbem
et careas illa protinus effigie,
ista quidem totiens non te turbabit imago,
egregia ut scribis, non tamen aequa mihi.
Parce, precor, flavos scindam miseranda capillos,
parce animos, princeps, sollicitare meos.

ISOTTA ARIMINENSIS DIVO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. SAL. DICIT

I3_06 v.1 Vade meo regi, fatalis epistula, leti

nuntia, vade meo, littera maesta, duci.
Forsitan invenies illum inter proelia duri
Martis et insignes aere micante viros,
aut inter strepitus pugnatorumque catervas
invenies laetos quod bene cogat equos,
inclyta sanguinea meditantem bella securi,
inferat infidis ut prior arma viris.
Quicquid agit (placida neque enim spatiatur in umbra
lentus), adi magnum, si vacat hora, ducem.
Dic quoque "Dii faciant valeas, rex optime regum,
sed melius vitae quam valet aura tuae.
Illa quidem morbi stimulis torquetur amaris,
febris et ardores concitat usque novos.
Febris ad usque cavas labefacta per ossa medullas
regnat ; amara dies nox et amara venit".
Littera, parce loqui, libet o libet ore profari,
seu levibus jactem talia verba notis.
Et rear esse deos, cum sic miseranda puella
mortua sim, meritum labar et ante diem ?
At mihi sperabam tranquillae tempora vitae
longa, ducis quondam numine tuta mei.
Divus et ut Latium qui jam pacaverit orbem
spes erat ah vitae maxima nempe meae.
Talia credideram quae nunc Notus horridus auras
jactat in aethereas, labor et ante diem.
Et meus, heu, primis amor exstinguetur ab annis
et linquam dulces funere delicias.
At ne Parca quidem gravis esset iniqua cadenti,
ni doleat graviter dux magis ipse meus.
Sigismundus "Ubi nunc est Isotta ? " requiret,
guttura singultu nec minus ille premet.
Ah quotiens lacrimas fundet Pandulphius heros
dicar et o tantae causa ego tristitiae.
Tune, puella, ducem toto suspiria coges
pectore cum lacrimis ducere saepe suis ?
Ante duces tantos, quorum dux maximus ille est,
plorabit magnae, proh dolor, Ausoniae ?
Te, Pandulphe, canent populi regesque superbi,
flebis at Isottae funera maesta tuae.
Non ego digna fui lacrimas meruisse tepentis
ut fundat Latii me super alta salus.
Ante, precor, quam sic posita hic moribunda relinquar,
ipse veni et tardas tolle, benigne, moras.
Tolle moras, propera, dum spiritus ultimus exstat :
Persephone nostrum jam gravat atra caput,
vertice quae secuit vitalis dura capillos,
nec patitur longos me superesse dies.
Quod si, dive, venis, solabere solus amantem :
forsan et antiquae causa salutis eris.
Quod si venisset Ceyx speratus amanti,
Alcyone gelidis non periisset aquis.
Phyllida Thesides si non liquisset amantem,
non flesset dominam Thracia terra suam.
Solus amor totiens Stygiis revocavit ab umbris
Castora : fratris erat tutus amore sui.
Ah quotiens fertur Manes adiisse profundos

Tyndarides, quotiens ille receptus abit.
Ibat inaccessos tenebrosa per avia Pollux
ipse locos, fratris dum fugit umbra sui.
Ergo si venias, meminisse juvabit amoris
et solitis olim non caruisse bonis.
Mente valet siquis, corpus valet atque duorum
laetitia est tanti maxima causa boni.
Torqueor et tanti nulla est medicina doloris,
quae possit lacrimas continuisse meas.
Solus amor tamen est, qui me non liquit amantem ;
crescit et immensis scilicet ille malis.
Corpore frigida mors moribunda per ossa soluto
regnat, at in gelido pectore fervet amor.
An deus ille etiam Manes descendit ad imos
regnat et in campis ferreus Elysiis ?
Certe ego me sensi totam periisse, nec ullis
partibus exstinctae commeminisse mei.
Atque oblita mei memini mea gaudia teque,
Sigismunde, oculis consequor usque meis.
Atque superba tuos video, rex maxime, vultus ;
obicit aut sensus horrida Parca malos ?
Quod te per nostros oro miseranda labores,
queis nihil in toto tristius orbe fuit :
si tibi dulce mei quicquam fuit, aspice casus,
dive, meos, animi tu miseresce mei.
Neve tuos olim mihi femina morit amores,
Ausonis illa fuat, barbara sive fuat.
Quaeque pie coluit te femina, sis pius illi ;
neu capiat vultus ulla puella tuos.
Quod si forte sciam, tum me sub tristia mittes
Tartara, tum lacrimis gaudeat illa meis.
Ante sepulcra veni, Pario quae marmore facta
celsa meum corpus protinus excipiant.
Illic da lacrimas, illic pia lilia sparge,
illic purpureas ordine pone rosas.
Hic ego, siquid habent post funera corpora sensus,
excipiam blandas jam dea facta preces.
Nam dea, si me amas, et ero post funera numen,
damnabo et votis saecula cuncta meis.
Tunc me Arimineis natam sub collibus orent
et Morini et turis pondere dives Arabs.
Barbara gens omnis, nos Itala terra probabit,
quod fuerim tanto digna puella viro.
Sed nec lingua loqui, nec plura profarier ora
fessa valent : morior labor et ante diem.
Jamque vale o nostri longum memor, ecce tenebrae
obnubunt miserum nocte ruente caput.

## SIGISMUNDUS PANDULPHUS POETAE SAL.

I3_07

Qualis ubi Hectoreum genitor miserabile ferri
corpus Achilleis vidit ab ipse rotis,
qualis et Antilochum senior pater ille virum rex

conspexit Phrygio procubuisse solo,
qualem Calliope genitum pro montibus altis
Eurydicen fama est ingemuisse suam ;
talis ego, vates, nostrae spes una salutis,
sortior aeternos tristia fata dies.
Nam neque vita placet, neque me vixisse juvabit,
si spolior tantis, docte poeta, bonis.
Vade age, quandoquidem pelago jactamur amaro
velaque caeruleis sunt mea mersa vadis ;
i, propera et dominae pauca haec mandata referto,
si modo non omnis spiritus hujus abit,
ne velit Italiam tanto privare decore,
neve velit Manes accelerare meos.
Quod si noster amor quicquam valet, illa per hujus
spem velit a tanto me eripuisse malo.
Dic quoque ne dubitet luctantis vincere Parcas,
quae vicit cunctas sola puella deas.
Millia tot pro se Latiae refer ordine gentis
aeternos orant numina magna deos ;
confieri ut nequeat quin sit mihi salva puella,
quin superet magni spes bona causa boni.
Nempe preces nautas scopulis deducere acutis
et possent placido vela referre mari.
Virbius est precibus superas revocatus ad auras,
Hippolytus Manes qui fuit ante suos.
Ex bove facta dea est precibus, quam fleverat ipse
Inachus, ut Nilo gaudeat illa suo.
Illa prius montes incultaque saxa petebat
ibat et in saevas territa vacca feras.
At postquam precibus didicit te magne precari
Jupiter, Aegypti templa focosque tenet ;
sistraque pampineis innectit mollia thyrsis
ducit et errantes per juga summa choros.
Et precibus, Polypheme, tuis Galathea nitentes
caeruleos frenis saepe repressit equos.
Neptunum precibus vicit scelerosus Ulysses,
Junonem Aeneas, Pallada Dardanidae.
Denique cuncta preces magnorum numina divum
exsuperant, precibus tuta sit illa meis.
Hanc solare precor dominaeque medere dolenti,
omnis ut ex illo corpore maeror eat.
Te precor, o vates, nostrae spes plurima famae,
gloria qui nostri nominis unus eris,
ut pro me celeres curamque ad magna capessas
obsequia et quam mox ad sua tecta voles.
Quod si forte facis verbisque hortare dolentem,
libera erit verbis forsitan illa tuis.
Mi neque adire licet, nec tanta relinquere fas est
incepta ob regni sceptra tenenda mei.
Nam mihi pulchra novo se dedere Cremma triumpho
cogitur et tanti frena subire jugi.
Hactenus obsessas multis a millibus urbes
sit servasse satis moenia magna mihi.
Arma simul solitumque simul perdemus amorem,
unaque erit bini causa puella mali.
Quis struet hinc subitis lapidum tormenta ruinis,

majus opus quam quod Jupiter ipse quatit ?
Quis caelo turres subitas aequabit, ut ipse
miles eat celsas urbis ad usque domos ?
Nullus erit muris aries admotus iniquis,
vinea nec tectis machina dura foris.
Omnia quae secum dolor improbus auferet arma,
tuta nec ingenio castra futura meo,
castra quibus tantam solis obsedimus urbem,
quae numquam passa est obsidione premi.
Usque adeo gelidis munita paludibus hostem
tempserat ante alias terra superba suum.
Jam fossas haustu liquidis privavimus undis,
nuntia cum tanti littera missa mali est.
Nec reor aeterno quamvis venit unda liquore,
pluribus ut guttis hausta sit illa tamen,
quam lacrimis nostri dudum violantur abortis
lumina, sit lacrimis humida terra meis.
Heu genus humanum fortuna celerrima versat !
Tam laetus fueram quam modo maestus ero.
Frigora dura mihi nihil hic nocuere, nec anni
tristis hiems acti nec nocuere nives ;
nec quos obliqua fundebat Aquarius urna
obstabant imbres, frigorave ulla mihi.
Non glacies gelidis concreta paludibus usquam
obstabat pedibus saepe premenda meis.
Stiria facta jubis quam mox resonabat equinis,
saepe gelu magni diriguere duces.
Ast ego ut assequerer famae immortalis honorem,
cogebam fortes semper ad arma viros.
Gloria magna mihi tantis est visa periclis
posse sequi magnum tempus in omne decus.
Cremma quidem numquam Venetis obsessa, nec ullis
gentibus, est vires visa manere meas.
Heu vos, Euganei, quantum perdetis in una
Isotta auxilium, si moritura jacet !
Namque ego si doleam, maerore affecta dolebit
copia cumque suo caetera turba duce.
Quod si fata velint tanto spoliare decore
Italiam, dominae funera acerba meae,
ne mihi tu verbis tantam, doctissime, cladem
significa, nec tu talia voce refer.
Non oculis possem maestas spectare tabellas,
ne subitus damnet pectora nostra dolor.
Atra sed obscuris mittatur epistula ceris,
nuntiet ut luctus nigra tabella meos,
cursoresque citi laxis mittantur habenis,
ut referant fati nuntia certa mei.

## DIVO ET REGI SUO SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. POETA SCRIBIT

I3_08

Nuntius infelix lugubri in veste profectus
et ferrugineis littera nigra notis,
signa tibi tandem tantae, rex maxime, cladis,

Isottae et referent funera maesta tuae.
Ne lege, cognosces letum miserabile, quamvis
nulla sit ante oculos littera aperta tuos.
Te color hujus enim, vel te praesaga docebit
mens magni semper praescia facta mali.
Ante obitum ad dominae morientia lumina veni,
jussus ut a tanto principe missus eram.
Atque ex te verbis solari ut coepimus illam,
visa fuit tantis esse levata malis.
Illa nihil fatum pro se metuebat, at illam
quod se desereret sollicitabat amor.
Ah quotiens lacrimas inter solantia verba
fudit, ut oris erant verba relata tui !
Illa : "Valet mea spes", inquit ,"Pandulphius heros ?
Si valet ille, salus omnis habenda mihi est.
Non ego Persephonem timeo, non ferrea leti
omina, non Stygii proxima regna Ditis.
Sospite et incolumi Sismundo nulla peribit
Isotta : hoc salvo nempe superstes ero".
Vix ea cum dixet pallore affecta supremo est,
laetior usque tamen, dum tua facta refert.
Mox caput accubuit, nec plura profarier ora,
nec potuere graves reddere voce sonos.
Hic simul ac potuit tremulis singultibus auras
impulit et tali voce locata palam est :
"Auferor ad Stygios terris vix reddita Manes,
implorans duros numina magna deos.
Crudeles Superi, qui numquam parcere formae
scitis, io nostris parcite temporibus.
Quod si nulla mei vos gratia tangit amoris,
vos Sigismundus nempe movere potest.
Quod si vestra preces possunt pia numina nostrae
flectere, si non sunt diique deaeque feri,
illius o regis, quaeso, miserescite divi,
non ego jam pro me talia dona peto.
Mi satis est miserae domino servire potenti,
mi satis ante suos saepius esse pedes.
Haec ego vos, Superi, posco, date justa petenti
munera : vos tanto jam date dona duci.
Pelidae vires quondam tribuistis et arma :
Pandulpho vitam vosne negare decet ?
Ille vel Hectoreos dignus conscendere currus,
ille vel Aeacidae bella referre potest.
Nec quisquam Latio in magno, nec barbarus hostis
intrepidus tantum vellet adire virum.
Nec minus Italiae decus est et gloria gentis,
imperat et magnae gentibus Euganiae.
Hunc propter lacrimas extrema in morte profundo,
hunc propter sortem jam querar ipsa meam.
Crudeles nimium Superi, crudelia caeli
numina, crudelis Parca propinqua mihi,
vos aquilas tristem fessas motare senectam,
vos sinitis cervos vivere saecla novem,
vos angues etiam nitida vestire juventa
vultis et antiquae ponere terga cutis.
At me, quae fueram spes una et gloria tanti

regis, io miseram perditis ante diem".
Talia jactabat miserando pectore dicta,
quae possent saevas dicta movere tigres.
Nec quisquam tantum se ferreus offerat illi,
ut ferus a lacrimis temperet ille piis.
Usque adeo extremam quamvis venisset ad horam
spiritus, ambrosios reddidit ille sonos.
Tum vero toto paulatim expalluit ore,
ut solet inducta candida nube dies.
Mortua nec poterat, poterat nec viva videri,
qualis defecto lumine Castor erat.
Dum vixit, quoniam semper tibi cura puellae
tanta fuit, quonam viveret illa loco,
Sigismunde, velim noscas ubi mortua tandem
tanta jacet tumulo gloria deinde novo.
Illa quidem templo Geniorum excelsa quiescit
altaque jam niveis stat dea marmoribus,
quam gemini insignes elephanti ad sidera tollunt,
aeternisque nitet marmor imaginibus.
Aede sacra requiescit, ubi sunt pignora cari
corporis : ossa gemunt vir mulierque simul.
Omnis plena via est planctu miseroque ululatu,
consonat et tellus marmoreumque solum.
Femineisque fremunt ululatibus omnia circum,
hinc matrona senex, nupta puella gemit.
Et volucres rostris maerentia pectora tundunt
et gelidis, pisces, delituistis aquis.
Quid referam sensus animalia nacta sagaces ?
Maerorem miris dant elementa modis.
Namque ubi sublata est portanda ad busta puella,
intonat et magnus Jupiter ingemuit ;
praecipitesque ruunt elisis nubibus imbres
atraque caeruleis terra repletur aquis.
In tenebras solem afflictum cava nubila condunt
et niveum guttis collacrimavit ebur.

SIGISMUNDUS PANDULPHUS MAL. VATI DIVO SAL.

I3_09
Non haec ingenio, non haec ex carminis arte
fundimus : emittit tristia verba dolor.
Qualis Peneia fertur pro conjuge Phoebus
discolor in solis delituisse locis,
qualis et amissa celsis pro montibus Orpheus
conjuge Tartareas fertur adisse domos ;
talis ego longos cogor meminisse dolores,
anxius Isottae morte, poeta, meae.
Non me grata dies, non me nox ulla juvare,
non dextrae possunt fortia facta meae.
Ire juvat scopulos inter fruticosaque saxa
lustraque vel rapidis vix adeunda feris.
Usque adeo dolor immensus rapit omnia secum
consilia atque animi mille pericla mei.
Ipse humana libens vito vestigia, quando

ipse velim vitae nescius esse meae.
Quin etiam attonitus gelidis in montibus erro,
cogor et incertas protinus ire vias.
Saepe ego marmoreum dulci pietate sepulcrum,
saepe peto templi candida signa novi.
Elicerem ut voces aliquas, illius ad aram
saepe tuli maestum corde micante pedem.
Atque ibi eam postquam nullas audire querelas
sentio, in externos cogor abire locos.
Quo dolor ipse feret veniam, dii, ducite quaeso ;
sancte puer, vel tu, mater et alma Venus.
Vos mihi principium tanti tribuistis amoris,
vos finem vestris demite numinibus.
Ipse ego vel totum, vobis ducentibus, orbem
ingrediar, duras barbara regna plagas,
Auroram et Gangem, nec non Boreamque Notumque
Orchadas et Thulen, ultima dorsa maris.
Nec plus telluris magnis obiisse feretur
ille viis, tigres qui domat aere feras,
effera pampineis qui corrigit ora capistris
Bacchus, Nysaei gloria magna jugi.
Tantus amor Manis Isottae affarier omni
est animo et magicis credere carminibus.
Atque herbis lapidumve novis ego viribus utar :
certum est Infernas sollicitare canes.
Meme etiam magicos cantus audire juvabit
atque animam dominae saepe vocare meae.
Audiet e tumulo mea vita emissa reposto,
forsitan et voces sentiet inde meas.
Ipse Hecates veniam nocturnas solus ad aras
et referam sacro carmina nota solo,
qualis Eleusina coluit Trieterica taeda
Thyas inornatis semper operta comis.
Haec ego jam faciam, dum me mea vita manebit,
inveniam Isottam forsitan ipse meam.
Tuque age, nam vati confert sua numina Phoebus,
me moneas, tantis dum premor usque malis,
et simulacra modis iterum viventia miris
tangere si possint, umbrae animaeque premi.
Saepe fui in triviis ululando et acerba fremendo,
dum canit effusis Thessala saga comis ;
nullaque vox nostras sese referebat ad aures,
sed sensi medio desiliisse solum.
Interea gemitu montes et saxa lacesso
et lacrimis late fervet harena meis.
Et vagor ipse dolens totum peregrinus in orbem,
qualis vita diu Bellerophontis erat.
Ille Jovi infelix Superisque invisus iniquis
errabat Lyciis tristior usque jugis,
ille Chimaereos primus qui vicerat ignes,
quem Solymi patrio pertimuere solo.
Post tot facta tamen campis errabat apertis,
strinxerat atque suum mente dolente jecur.
Sic nos qui Latias soli servavimus urbes,
quos propter Latii magna reperta salus,
usque sub extremis tristes errabimus oris

Oceani, qua sol cernit utrumque fretum.
Scilicet Hesperidum extremas veniemus ad oras,
celsus ubi caeli sidera torquet Atlas.
Aurea mala fero vix custodita draconi
forte manu ramis arboris ipse legam.
Aut ego ad Eoas veniam male sanus harenas,
quaeque calent Rubri litora vasta maris.
Hinc ego purpureos referam mea vota lapillos,
gemmaque Gangariis sit mihi lecta vadis.
Omnibus his herbisque aliis aperire sepulcrum
experiar, Manes et revocare pios.
Nunc herbas Medea suas succosque potentes
det mihi, cumque illis mille venena velim.
Paeona quin etiam plenis venerabor acerris
et Phoebi supplex numina magna patris,
quo satus Hyppolitum Stygiis revocavit ab umbris,
esset ut in magna Virbius Italia ;
Egeriaeque dedit lucis Latois opacis
hunc dea : tanta piae cura pudicitiae.
Hei mihi cur frustra magicas accingor ad artes ?
Insanam mentem carmina nulla juvant.
Tunc ego mente bona fuerim, si vita puellae
adveniat vultus ante vocata meos.
Et veniat cultis, ut quondam, culta capillis,
Daedalia facta est qualis in aere manu.
Et velit in rosea sese mihi reddere palla,
sive placet niveus puniceusve color.
Nec veniat tristi, nec duro pallida vultu,
sed nitor ambrosiis sit maneatque genis.

## SIGISMUNDO PANDULPHO MAL. POETA SCRIBIT

I3_10

Obstupui lectis, princeps animose, tabellis
horruimusque hirtis protinus inde comis.
Nam quicumque dolor tuus est, hic scilicet idem
est meus et parili condicione premor.
Solus enim vates, solus, Pandulphe, Camenas
ipse colis, solus carmine digna facis,
bellaque perpetuum quae sint celebranda per aevum
et nova Maeonia bella canenda tuba.
Jam geminae certant in te, rex optime, laurus :
Mars favet atque meo Calliopea duci.
Quod si non armis tantum rex inclytus esses,
non foret in nostro te prior eloquio.
Mirane tu volucrum monumenta reponis amorum,
quae possint longa posteritate legi ?
Isottamque tuam, quamvis sit mortua, Manes
non capient : cunctos effugit illa rogos ;
carminibusque tuis manet aeternumque manebit,
nec tu quem referas mortuus esse potest.
Quo magis admiror quaenam sententia menti
fixa tuae, quonam te dolor acer agat,
qui cupias montes et inhospita lustra ferarum

et petere undisoni litora longa maris,
ireque vel totum semper peregrinus in orbem,
qua tepeat Titan mersus utroque mari.
Omnia quae magnus dolor edere verba coegit
te tamen et dominae mors inimica tuae.
Quin etiam rogitas, fieri si posse putemus,
Isottam valeas ut reperire tuam.
Magna quidem, princeps, sed non reticenda requiris,
digna sed ingenio talia Socratico.
Ipse tamen referam sacri divina Platonis
plurima, quae Graiis me docuere sonis.
Ille putat rursus mortale in corpus ituras
esse animas pleno temporis orbe sui.
Nec minus Elysios post fata revisere campos
rursus et aeterna condicione trahi.
Nonnullas montes incultaque saxa subire,
nonnullas rapidi spumea dorsa maris.
Illas Tartareis penitus maerere latebris,
has nemora et fontes rura beata sequi.
Nec non et superas iterum migrare sub auras
et rursum ad sedes se revocare suas.
Ipse Menoetiades, magno si credis Homero,
venit Achilleos mortuus ante pedes
candidaque ossa sui Phthiae portaret ad urbem
fidus ut Aeacides jussit et inde fugit.
Sic te si affari cupiat tua cara puella,
forte potest vultus ante venire tuos.
Aeneaeque fuit simulacrum triste Creusae
ante oculos, trepidas dum fugit illa manus.
Quare ne dubites illam tibi posse reverti
et curas dulci voce levare tuas.
Non fuit illa tamen duro de sanguine nata :
justa parens illi, justus et ipse pater.
Quae pia cum fuerit, fuerit cum justa puella,
non feret haec gemitus te renovare graves.
Et veniet cultos Isotta ornata capillos,
qualis erat regno culta puella tuo.
Aut te turbatos ducet dea facta per hostes
et reget ardentes fulminis instar equos,
ceu Juturna suum ducebat in agmina fratrem,
ut Bellona solet ducere Martis equos.
Quicquid erit (neque enim Stygiis miscebitur umbris),
seu dea, seu caeli spiritus almus erit,
non te plorantem, non te feret illa gementem ;
sed veniet superis missa puella locis.
Non lacrimis opus est ; precibus pia numina justis
prosequere et magnos munere vince deos.
Illam posce, libens precibus flectetur amicis :
exorata dabit magna petita tibi.
Hinc modo tu lacrimis jam parce fidelibus, ora
parce novis, princeps, dilaniare notis.
Sis Italum potius decus immortale virorum,
qui serves magnam solus et Hesperiam.
Quam, nisi tu fueris, jam barbarus occupet hostis
et teneat regni maxima jura tui.
Huc amor omnis eat, pietas huc illa recurrat :

inice rex animos huc memorande tuos.
Quod si, dive, facis, jam jam tibi laeta puella
adveniet, tardas reicietque moras.
Tum genus omne hominum laudes tibi dicet et astris
inter opus tantum te colet usque parem.
Post ubi sidereos caeli conscenderis axes
teque vocet lati regia magna poli,
aurea nascetur toto gens altera mundo
atque iterum nivei flumina lactis erunt.
Dumque maris rapidi tua moenia verberet unda,
fluctus Arimineis dum sonet altus aquis,
dum verno frondes se tempore quaeque novabunt,
dum volucres nidi sede jocabit amor,
dumque nives gelidas pater Apenninus habebit,
Caucasus impastas dum renovabit aves :
regis Ariminei celeberrima fama trophaeis
vivet et invicti gloria summa ducis.